HERODAS

IN MIMIAMBIS QUATENUS COMOEDIAM GRAECAM RESPEXISSE VIDEATUR

SCRIPSIT

DR. HERMANN KRAKERT.

BEILAGE ZU DEM PROGRAMM DES GROSSH. GYMNASIUMS IN TAUBERBISCHOFSHEIM FÜR DAS SCHULJAHR 1901/1902.

DRUCK VON B. G. TEUBNER IN LEIPZIG.

1902.

Progr.-Nr. 689.

Herodae carmina quicunque paulo accuratiore percensebit studio, ei non dubium fore arbitror, quid de illius ingenio sit iudicandum. Fuit enim poeta haud spernendus, qui novum excoleret poesis genus ipsa inventione et rerum tractatione pariter insigne. A forma autem metrica et argumentorum ratione mimiambos nomen traxisse notum est. Atque choliamborum quidem numerum invenit et excoluit Hipponax Ephesius, cuius ipse Herodas in prooemio mentionem iniecit, mimicam artem primus literis mandavit Sophron, poeta Siculus: ex hoc duplici fonte quasi novam et suam derivavit artem Herodas. Ab Hipponacte cum metro etiam sermonis genus sumpsit vulgare ad mimiamborum indolem aptissimum; Sophronis mimos ut ignoraret, in tanta artis affinitate fieri vix potuit. Sed ex comoedia quoque graeca aliquot colores ab eo adsumpti sunt, et id ipsum nobis quidem demonstrare in animo est hac commentatione.

At Herodas, licet nonnulla aliis debuerit, suo simul ipsius ubique utitur ingenio; atque si quid aliunde petebat, tam scite adsimulavit reliquis, ut unus tanquam color totius sit carminis, aut tanta arte inflexit verba vel immutavit, ut imitationis vestigia vix pelluceant. Nam ut singulas voces omittam, quae quantum quidem hodie scimus non nisi apud Herodam repe-riuntur[1]), sententias quoque, dicta, proverbia quasi nova protulit vel aliquo saltem modo variata.[2]) Ut autem bonam

1) cf. mim. I, 60: *ταταλίζει*; III, 85: *μῦς*, derivatum a verbo *μύω*; IV, 46: *λαίμαστρον*; VI, 8: *πρημονῶσαν*; VI, 16: *νώβυστρα*. Usus sum editione Crusii tertia a. MCM.

2) mim. I, 32: *γυναῖκες ὁκόσους οὐ . . . ἀστέ)ρας ἐνεγκεῖν οὐρανὸς κεκαύχηται* (cf. O. Crusius *Untersuch.* p. 8), quam imaginem primum eum ad mulierum abundantiam transtulisse ego vix spoponderim. cf. Ovid. Ars am. I, 59: quot caelum stellas, tot habet tua Roma puellas. cf. mim. I, 37, 76; I, 55; I, 71; II, 31; VII, 109, 128 al.

clausulam imponeret carminibus, in fine uniuscuiusque fere mimiambi proverbium aliquod vel scite dictum collocare solebat[1]): prudentis poetae manum ubivis agnoscas.

In similitudinibus igitur comoediae statuendis ne temere agamus, cum hoc ipso de arte Herodae impediamur iudicio, tum inde quoque, quod etiam si qui mimiambis simillimus comoediae locus reperiatur, tamen comicumne ante oculos habuerit poeta an, a quorum arte carmina sua ipse inscribit, mimorum potius scriptorem, singulis locis certo statui vix potest. Sed in hanc rem liceat nobis paucula quaedam commonere.

Atque omni quidem scurrarum ac praestigiatorum generi mirum in modum iam antiquitus Graeci favebant. Plurimum autem apud Dores ars illorum invaluit, qui personas ridiculas agebant et quaevis iocularia ex tempore proferebant.

Ex Athenaeo (XIV 621 C) constat homines ridiculos, qui graece *μαγῳδοί* dicebantur, imitatos esse *ποτὲ μὲν γυναῖκας [καὶ] μοιχοὺς καὶ μαστροπούς, ποτὲ δὲ ἄνδρα μεθύοντα καὶ ἐπὶ κῶμον παραγινόμενον πρὸς τὴν ἐρωμένην.*[2]) Recte autem negat O. Crusius casu fieri, ut inter mimicas has personas etiam lena occurrat sicut in primo mimiambo Herodae. Quamquam interest aliquid inter alterum argumentum ab Athenaeo adumbratum et id, quod est in secundo Herodae carmine, illic enim de nocturna comissatione, hic etiam de raptione scorti agitur. Quid? quod, quae 'magoedis' tribuuntur ab Athenaeo[3]) personae, eaedem reperiuntur apud comicos? Ac lenae quidem describere personam comicis quam fuerit in deliciis, ex iis, quae ad mim. I infra disseremus, satis apparebit. Comissantes autem iam Aristophanes comicus induxit, ut in Pluto (1038 sq) iuvenem cum corona et facibus in scaenam prodeuntem atque puellae occurrentem, in vespis Philocleonem senem inebriatum,

---

1) cf. mim. II, 100:

ὡς ὁ Φρὺξ τὰ νῦν ὑμῖν
πληγεὶς ἀμείνων ἔσσετ', εἴ τι μὴ ψεῦδος
ἐκ τῶν παλαιῶν ἡ παροιμίη βάζει.

cf. mim. IV, 94; V, 102; VII, 128.

2) cf. Crusius *Unters.* p. 27.

3) Ceterum etiam apud ipsum Sophronem '*μαστροπός*' memorabatur. cf. infra p. 8.

in Ecclesiazusis adulescentem quendam, qui relicto convivio comissatum it ad puellam.[1]) Hoc igitur argumentum Graecis indeque Romanis[2]) tritissimum nescio an mimorum arte primum repraesentatum sit.

Sed alias quoque mimorum personas ex Athenaeo cognoscimus. Boeotus enim Syracusanus eximia arte imitatus esse dicitur *πισσύγγους ἢ φῶρας ἀναιδέας ἤ τινα χλούνην* (Athen. XV 699 C).[3])

Et sutoris quidem primae sunt partes in septimo Herodae mimiambo, lenonis (cf. *χλούνην*) in altero, et fortasse etiam fures illi impudentissimi, quos poeta memorat mim. IV, 63, huc sunt referendi. Veri autem simile putem ut argumenta quaedam vel singulos locos, qui maxime plausus tulerant, ita nomina personarum e mimorum spectaculis famosarum facile in memoria haesisse, ita ut comici quoque poetae talia in fabulas inserere non dubitarent. Nescio igitur an furta quoque comica, quae sunt apud Aristophanem, e mimis in comoediam pervenerint. Nam cuinam *φῶρας ἀναιδέας* in mimicis argumentis fuisse legenti[4]) non in mentem venit allantopolae haec apud Aristophanem gloriantis equ. 418:

ἐξηπάτων γὰρ τοὺς μαγείρους ἐπιλέγων τοιαυτί·
σκέψασθε, παῖδες· οὐχ ὁρᾶθ'; ὥρα νέα, χελιδών.
οἱ δ' ἔβλεπον, κἀγὼ 'ν τοσούτῳ τῶν κρεῶν ἔκλεπτον.

et deinde

καὶ ταῦτα δρῶν ἐλάνθανόν γ'· εἰ δ' οὖν ἴδοι τις αὐτῶν,
ἀποκρυπτόμενος εἰς τὼ κοχώνα τοὺς θεοὺς ἀπώμνυν.

---

1) cf. Eccles. 947:

εἴθ', ὦ θεοί, λάβοιμι τὴν καλὴν μόνην,
ἐφ' ἣν πεπωκὼς ἔρχομαι πάλαι ποθῶν.

2) Idem argumentum explet Properti elegiam I, 3 integram, in qua se ipsum poeta describit e convivio ad puellam venientem. Audi hos potissimum versus Properti:

Ebria cum multo traherem vestigia Baccho,
Et quaterent sera nocte facem pueri.

3) cf. Crusius *Unters.* p. 50, Philol. Suppl. VI, p. 284.

4) Adice, quod similia mimi argumenta saltando exprimebant; cf. haec schemata a Polluce, Athenaeo, Hesychio memorata: *κλωπεία, κρεῶν* (?) *ἀποκοπή, κλοπὴ τῶν ἑώλων κρεῶν.*

Hoc autem ipso artificio idem ille postea aemulum suum decipit. Legatos enim cum argento appropinquantes se conspicere simulans adversario stupido et circumspicienti lepusculum, quem Demo ille propositurus est, surripit. Quod mihi quidem mimici magis quam comici videtur esse characteris.[1]) Itaque quod Herodae loci nonnulli cum comoedia conveniunt, inde cavendum est statim colligamus comicos adisse Herodam, nam neque comicis[2]) neque mimiamborum scriptori ignota fuit ars mimica. At prorsus neglexisse hunc illorum fabulas nec per se ipsum verisimile est nec ego ut credam a me impetro. Certe et eadem illi ex parte argumenta atque ipse tractabant et quae rudiora fortasse ex mimorum ludicris acceperant, ea perpolita ad summam artis adducebant absolutionem.

Primo autem obtutu apparet scaenam suis carminibus addidisse Herodam, ut iam antea Sophron fecerat.[3]) Atque etiam sermonem talem exhibuit tanquam in scaena res agerentur, velut ad res demonstrandas solo pronomine utitur pariter ac scaenici poetae.[4]) Adde alia quoque sermonis scaenici propria, velut mim. VII, 51: *ἕτερον χἄτερον μάλ' ἐξοίσει*, ubi observandum est verbo *ἐκφέρειν* scaenicos solere uti, si quid in scaenam proferri iubeatur.[5])

Huc pertinet etiam mim. III, 70, ubi magister sibi scuticam afferri his iubet verbis: *δότω τις εἰς τὴν χεῖρα.* Eadem autem

---

1) Neque fortasse casui est tribuendum, quod in eadem Aristophanis fabula bis mimicum ut ita dicam verbum *μακκοᾶν* occurrit (cf. equ. 62 et 395), cf. Dieterich *Pulcinella* p. 87.

2) Ceterum magoedi illi invicem comica argumenta ad ludicra sua adscivisse in usumque suum convertisse traduntur. cf. Athen. XIV 621 C: *πολλάκις δὲ οἱ μαγῳδοὶ καὶ κωμικὰς ὑποθέσεις λαβόντες ὑπεκρίθησαν κατὰ τὴν ἰδίαν ἀγωγὴν καὶ διάθεσιν.* Hinc apparet necessitatem quandam his ludis esse cum comoedia iam veteres vidisse.

3) Primi quidem mimiambi scaena magnam habet cum Theocriti idyll. XV similitudinem:

ΓΟΡΓΩ. Ἔνδοι Πραξινόα; ΠΡ. Γοργοῖ φίλα, ὡς χρόνῳ. ἔνδοι.
θαῦμ' ὅτι καὶ νῦν ἦνθες (cf. Her. mim. I, 13 sq.).

Eiusmodi similitudinibus commune utriusque exemplar aliquatenus agnoscas.

4) cf. Her. mim. III, 3: *τοῦτον κατ' ὤμου δεῖρον*, mim. III, 57, 78, al.; Aristoph. equ. 490, 493, av. 1018, al.

5) Aristoph. equ. 997, 998, 1164, al.

loquella comici similibus locis utuntur.[1]) Aliud artificium Herodae cum comicis commune hoc est: comici enim, ut ridiculam magniloquentiam exhibeant, saepius eum qui loquitur de se ipso persona utentem inducunt tertia, ut Aristophanes vesp. 1396:

οὔ τοι μὰ τὼ θεὼ καταπροίξει Μυρτίας
τῆς Ἀγκυλίωνος θυγατέρος (cf. Plaut. Truc. 515),

quod non minus saepe apud Herodam observatur.[2])

Saepenumero poeta vultus gestusque agentium ipse praescribit ut mim. II, 74: *γελᾷς*; VI, 44: *τί μ' ἐνβλέπεις γελῶσα*; V, 25, 29; VII, 122; qua re nimirum alacritas quaedam carminibus addatur. Maxime autem hac re id spectavit, ut mutas quae inducuntur personas describeret, ne quasi umbrae essent omni sanguine carentes, quod fieri non poterat nisi per illas personas, quibus verba poeta impertiverat. Et tanta arte tantaque veritate hoc perfecit, ut eos, qui ne verbum quidem dicunt[3]), tuis tibi oculis conspicere videaris.[4]) Nolim tamen hinc concludi in scaena carmina esse acta a compluribus actoribus, quae est sententia Crusii (in translat. p. XXXVII). Immo quod omnia tanquam viva ante oculos proponuntur, hoc ipso artificio scite cavisse credo poetam, ne languidiora carmina fierent. Certe personarum, si re vera in scaenam prodissent, tam accurate ipsum poetam vultus gestusque indicaturum fuisse parum credibile puto. Tum hoc quoque alicuius momenti est, quod non-

---

1) Vid. Kock ad Aristoph. av. 1579 cum Hemsterhusii adnotatione ad Pluti v. 1195 hac: 'quando in scaenam aliquid proferri sibique porrigi postulant, fere legitimum est *δότω τις, ἐκδότω τις.*' Aristoph. av. 1693, ran. 871. 1304 vesp. 529; adice simillimum Antiphanis locum (fr. 74, 7 II p. 41 K): *ἔξω τις δότω ἱμάντα ταχέως οἷον.* — Huc pertinet etiam usus vocabuli *ἐκποδών* localis Her. mim. VI, 15: *ἐκποδὼν ἧμιν φθείρεσθε*, cf. Aristoph. equ. 957: *ἀπόφερ' ἐκποδών*, 1151: *ἄπαγ' ἐς μακαρίαν ἐκποδών*, aliis multis locis.

2) cf. I, 90. II, 5 al. Fortasse hunc usum utrique sumpserunt ex vulgari genere dicendi: cf. Hippon. fr. 22, 23. Neque a tragicis alienum est maiorem sic sermoni attribuere gravitatem, cf. Soph. Ai. 98: *ὥστ' οὔποτ' Αἴανθ' οἵδ' ἀτιμάσουσ' ἔτι.*

3) Sed vide etiam mim. V, 31.

4) cf. Crusius l. c. p. XVII: 'Auch die lauernde, heuchlerische Dienerschaft — Knechtsseelen, wie sie diese Despotin verdient — und die ganze verlogene Schiefheit der Verhältnisse hat der Dichter mit jener feinen zurückhaltenden Kunst gezeichnet.'

nullorum carminum, quarti potissimum et octavi, ipsa argumenta non satis apta sunt, quae in scaena agantur, cum in altero signa describantur, in altero somnium enarretur.[1]) Itaque Hertlingio assentiendum esse puto, qui censet[2]) mimiambos esse recitatos ab singulo quodam scito que fabulatore. Sed utut haec res se habet, in componendis suis carminibus Herodam ut mimorum arte ipsiusque vitae cottidianae observatione sic etiam scaenicorum poetarum fabulis adiutum esse et ex comoediis potissimum aliquot colores traxisse demonstrari poterit. Iam igitur singulos mimiambos ea qua par est modestia et cautione perlustremus.

Mim. I.

Ac primo quidem carmine conciliatrix inducitur fidem mulieris alicuius illecebris tentans, quae absentis mariti reditum expectat.

Similia argumenta tractaverat Euripides, quam ob rem ab Aristophane castigatur (ran. 1079):

οὐ προαγωγοὺς κατέδειξ' οὗτος;

velut in Hippolyto nutricem fecit castissimi illius iuvenis amorem erae conciliantem. Comici autem quam saepe lenae induxerint personam fortasse ex mimorum arte petitam (cf. supra p. 4) nemo est qui nesciat: scripsit Philippides *Μαστροπόν*[3]), scripsit Atta, togatarum scriptor, Conciliatricem, denique saepius in fragmentis occurrunt lenae. Apud Euripidem quidem nutrix quo facilius Thesei uxori persuadeat, ut Veneri cedat, vel deos immortales ipsumque Iovem Cypriae, deae poten-

---

1) Crusium, qui hunc scrupulum tollere studet (cf. *Unters.* p. 97), recte refellere mihi videtur Legrand (Revue des Ét. anc., t. IV, 1902, p. 10 adn. 2).

2) cf. Hertling, Quaestiones mimicae, Argent. 1899 p. 24 et Legrand, qui rationes ab H. prolatas accuratius percenset. Sed vide nunc quae contra disseruit Crusius *Festschr. Theod. Gomperz* p. 384 ss.

3) Cuius fabulae unum quod exstat fragmentum ἀπόστασις (ἀντὶ τοῦ οἴνου ἀποθήκας ἔχουσα Bekk. Anecd. 80, 32, in quibus verbis vix recte Kockius III p. 305 aliquid excidisse putat) comice ebriosam mulierem, fortasse ipsam lenam significat.

tissimae, obnoxios esse affirmat.[1]) Eisdem argumentis apud Menandrum, si quid video, nescio quae muliercula erae suae persuadere studet, ut amori indulgeat. cf. Menand. 209, III p. 60 K.:

δέσποιν᾽, Ἔρωτος οὐδὲν ἰσχύει πλέον,
οὐδ᾽ αὐτὸς ὁ κρατῶν τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν
Ζεύς, ἀλλ᾽ ἐκείνῳ πάντ᾽ ἀναγκασθεὶς ποιεῖ.

Comici enim Euripidem secuti hominibus vel infimae condicionis velut ancillis sententias tribuebant e sophistarum arte petitas.[2]) Plane eisdem igitur causis quibus Euripidis nutrix et illa, quae apud Menandrum loqui videtur, apud Aristophanem libidinem et adulterium excusat *Λόγος* ille *ἄδικος*, qui sophistarum praecepta profert nub. 1080:

εἶτ᾽ εἰς τὸν Δί᾽ ἐπανενεγκεῖν
κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι καὶ γυναικῶν·
καίτοι σὺ θνητὸς ὢν θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο;

Itaque talia peccata lenissimo quoque nomine appellant et Euripides et comici et ipse Herodas. cf. Hippol. 507:

εἴ τοι δοκεῖ σοι χρῆν μὲν οὔ σ᾽ ἁμαρτάνειν.

et 615:

σύγγνωθ᾽· ἁμαρτεῖν εἰκὸς ἀνθρώπους, τέκνον

Her. mim. I, 61: *ἀλλ᾽ ὦ τέκνον μοι Μητρίχη, μίαν ταύτην ἁμαρτίην δός.* V, 27: *ἄνθρωπός εἰμι, ἥμαρτον*, cf. infra p. 37.

Primo impudica nutricis consilia Phaedra quoque respuit, sicuti Metricha, Hippol. 498:

ὦ δεινὰ λέξασ᾽, οὐχὶ συγκλῄσεις στόμα
καὶ μὴ μεθήσεις αὖθις αἰσχίστους λόγους;

cf. Her. mim. I, 73.

In comoedia ubicunque lena occurrit, semper eadem est: vetula, loquax, vino dedita, puellae praedicans pudicitiam, argutiarum et sententiarum peritissima, denique talis, qualis etiam est apud Herodam; certe quam hic dedit imago verissima est et quam maxime ad vitae similitudinem expressa.

---

1) Hippol. 453, cf. 458:

στέργουσι δ᾽ οἶμαι, συμφορᾷ νικώμενοι.

2) De hac Euripidis consuetudine cf. Kock, praef. ran.[3] p. 20.

Praecipuum autem vitium ac maxime lenarum proprium illa, quae in Plauti Cistellaria prodit, ipsa libere indicat v. 120:

Idem mihist quod magnae parti vitium mulierum
Quae hunc quaestum facimus: quae ubi saburratae sumus
Largiloquae extemplo sumus, plus loquimur quam sat est.

Lenarum orationi puellas tentantium tribuo Philem. Pancrat. 53, II p. 491 K:

καὐτόν τι πράττειν· οὐ μόνον τὰς ἐλπίδας
ἐπὶ τῇ τύχῃ χρή, παιδίον, πάντως ἔχειν
ὧν βούλεταί τις, ἀλλὰ καὐτὸν τῇ τύχῃ
συλλαμβάνεσθαι· ῥᾷον ἡ τύχη πονεῖ,
ἐὰν μεθ' ἑτέρου τοῦτο, μὴ μόνη, ποιῇ.

Loquitur hic conciliatrix vel nutrix aliqua; τέκνον enim sollemnis fere alumnarum a nutricibus appellatio.[1]) Optime autem Philemonis verba ad orationem nutricis apta sunt alumnam adhortantis, ne nimis adversus adulescentes timida sit.

Sed redeamus ad ipsum Herodam. Gyllis vicorum lutum et squalorem exsecrata senectutem conqueritur v. 15:

ἐγὼ δὲ δραίνω μυῖ' ὅσον· τὸ γὰρ γῆρας
ἡμέας καθέλκει χἠ σκιὴ παρέστηκεν.

Senes autem molestiam senectutis lamentantes quam saepe comici induxerint, adhuc comparet. cf. Crates fr. 39, I p. 142 K:

ὁ γὰρ χρόνος μ' ἔκαμψε, τέκτων μὲν σοφός,
ἅπαντα δ' ἐργαζόμενος ἀσθενέστερα.[2])

Quod distichon Crateti cynico dedit Nauck tr. gr. fr.² p. 810. Adde Diphil. 83, II p. 569 K:

πολιὸς τεχνίτης ἐστὶν ὁ χρόνος, ὦ ξένε·
χαίρει μεταπλάττων πάντας ἐπὶ τὰ χείρονα.

Philem. 125, II p. 518 K:

Σύρα, Σύρα. B: τί ἐστι; A: πῶς ἡμῖν ἔχεις;

---

1) cf. Eurip. Hippol. 203. 223. 297. παιδίον secundum Arist. Byz. appellantur quoad a nutrice aluntur.

2) cf. Sophr. fr. 54 Kaibel.

B: μηδέποτ' ἐρώτα τοῦτ', ἐπὰν γέροντ' ἴδῃς
ἢ γραῦν τιν'· ἴσθι δ' εὐθὺς ὅτι κακῶς ἔχει.[1])

Her. mim. I, 21 sq. lena incipit Metrichae fidem labefactare his verbis:

ἀλλ' ὦ τέκνον, κόσον τιν' ἤδη χηραίνεις
χρόνον μόνη τρύχουσα τὴν μίαν κοίτην;

cf. Plaut. Cistell. 44 (lena de filia sua):

Numquam ego hanc viduam cubare sivi.[2])

Her. mim. I, 23:

ἐξ οὗ γὰρ εἰς Αἴγυπτον ἐστάλη Μάνδρις
δέκ' εἰσὶ μῆνες κοὐδὲ γράμμα σοι πέμπει.

ut viri duarum illarum sororum in Plauti Sticho, cf. v. 29:

Nam viri nostri domo ut abierunt,
Hic tertius annus . . .

31: Quom ipsi interea vivant, valeant,
Ubi sint, quid agant, ecquid agant,
Neque participant nos neque redeunt.

Pergit lena v. 25:

ἀλλ' ἐκλέλησται καὶ πέπωκεν ἐκ καινῆς.

quae imago comicis usitata, cf. Plaut. Truc. 43:

Si semel amoris poculum accepit meri
Eaque intra pectus se penetravit potio.[3])

et Bacch. 48:

Eadem biberis, eadem dedero tibi, ubi biberis savium.

---

1) cf. Plautum, qui fortasse haec imitatur, Merc. (Empor. Philem.) 672: Syra: tantum hoc onerist quod fero
Dorippa: Quid oneris? Syra: Annos octoginta et quattuor.

2) cf. Propert. III 6, 23:

Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.

De elegiacorum cum comicis necessitate vide infra p. 12.

3) cf. Theogn. 959 sq., Verg. Aen. I, 749 longumque bibebat amorem. Crusius *Unters.* p. 7. Meister *Die Mimiamben des Herodas* p. 675 sq.

Sequitur enarratio rerum memorabilium, quibus Alexandria sit insignis[1]) (v. 26 sq.). In hac urbe illecebris referta dicit conciliatrix vitam illum agere libidinosam, cum uxor domi sedens sensim senescat; cf. v. 37:

κατ' οὖν λήσεις
γηρᾶσα (?) καί σευ τὸ ὥριμον τέφρη κάψει,

quibus verbis comparare iuvat Aristaen. Ep. 2, 1 p. 159 H., quem locum comoediae tribui vult Kockius (adesp. III p. 446):

τὸ δ' οὖν ῥόδον,
εἰ μή τις αὐτῷ χρήσεται, μαραίνεται.[2])

Et lenae haec convenire crediderim collata illius, quae est apud Propertium IV 5, 22, oratione[3]):

Vidi ego odorati victura rosaria Paesti
Sub matutino cocta iacere Noto.

Crusius orationem lenae confert etiam Ovidianae (Amor. I 8, 20 sq.), quae senectutis puellam commonefacit v. 53:

Forma nisi admittas nullo exercente senescit.[4])

Quo propius Gyllis eo pervenit, ut cur venerit fateatur, eo pluribus distinguit orationem luminibus, argutiis, sententiis poetarum, quas eiusmodi mulierculae semper in promptu habent verbisque suis intexere solent, ut sub oratione speciosa lateat contagio.[5]) Quas inde a v. 39 affert similitudines, a mari potissimum sunt ductae. Latius patet hic usus; ut Theognidis imaginem de mulierum inconstantia prolatam (v. 457) iisdem fere verbis Theophilus comicus expressit fr. 6, II p. 475 K.

---

1) cf. laudes Athenarum ignoti comici fr. 340, III p. 471 K.

2) 'admonetur puella, ut iuventute fruatur' Kockius. cf. Plaut. Most. infra p. 16.

3) cf. Crusius *Unters.* p. 21.

4) At totus hic locus vix Herodae tam similis est, ut Mattium, Herodae imitatorem, vel ipsum Herodam concludi liceat ab elegiaco poeta inspectos esse (cf. Crusius l. c. p. 22): rectius de ea ratione, quae inter comoediam graecam et elegiacos romanos intercedit, iudicare videtur Fr. Leo *Plautin. Forsch.* p. 129.

5) cf. Plaut. Asinar. 156, 178 sq.

ὥσπερ γὰρ ἄκατος οὐδὲ μικρὸν πείθεται
ἑνὶ πηδαλίῳ, τὸ πεῖσμ' ἀπορρήξασα δὲ
ἐκ νυκτὸς ἕτερον λιμέν' ἔχουσ' ἐξευρέθη.

Lena, quae est in Plauti Asinaria, ipsa quoque a navigatione petit similitudines v. 157:

Remigio veloque quantum poteris festina et fuge:
Quam magis te in altum capessis, tam aestus te in portum referit.

Her. mim. v. 40:

χἰλαρὴ κατάστηθι
ἱλαρὸν πρ)ὸς ἄλλον[1])

cf. Plaut. Bacch. 81:

Apud me (sc. accumbas), mi anime, ut lepidus cum lepida accumbat.

Lenam in lacuna v. 43 mortem quoque memorasse verisimile est; ἡδέως ζήσεις vel simile quid erat in v. 64; ἄστατος γὰρ ἡμείων (ζοή) v. 46; quo cum versu, ut unum ex multis afferam exemplis, cf. Diphil. fr. 118, II p. 576 K.

εὐμετάβολός ἐστιν ἀνθρώπων βίος.

Senectus et mors, qui erant loci poesi graecae frequentati, orationi meretricum non deerant in comoediis. cf. Plaut. Bacch. 1193, ubi meretrix senem sic allectat:

Non tibi venit in mentem, amabo,
Si dum vivas tibi bene facias, tam pol id quidem esse haud perlonginquom,
Neque si hoc hodie amiseris, post in morte id eventurum esse umquam?

Tandem v. 47 cur venerit aperire parat, postquam caute, num quis auscultator adesset, interrogavit:

ἀλλὰ μή τις ἕστηκε
σύνεγγυς ἡμῖν; M. οὐδὲ εἷς.[2])

Dein ambagibus missis pergit Gyllis:

ἄκουσον δὴ
ἅ σοι χρεἶζουσ' ὧδ' ἔβην ἀπαγγεῖλαι.

---

1) φίλον πρὸς ἄλλον Buecheler; ἀνδρῶν πρὸς ἄλλον Rutherf.

2) Quam saepe talia inveniantur apud scaenicos, vix est quod moneam. cf. Plaut. Trin. 69: Me. Numquis est hic alius praeter me atque te? Ca. Nemost. Mostell. 472.

ὁ Ματακίνης τῆς Παταικίου Γύλλος
ὁ πέντε νικέων ἆθλα — παῖς μὲν ἐν Πυθοῖ,
δὶς δ' ἐν Κορίνθῳ τοὺς ἴουλον ἀνθεῦντας . . .

Adulescens iste, qui per conciliatricem vota sua ad aures Metrichae perfert, gemellos quodam modo habet in comoedia. Saepius enim in comoediarum titulis occurrit *Παγκρατιαστής*: cognomines erant fabulae Alexidis, Philemonis, Theophili vel Diphili, apud Romanos Enni; qui titulus ductus est ab athletis palmas a se latas iactantibus, eiusdem scilicet generis hominibus, cuius sunt milites gloriosi. Nimirum hi pugiles Veneris non minus proeliis quam Martis aut Herculis fortes erant atque spectati.[1]) Huiusmodi gloriosum pugilem audis ipsum e verbis conciliatricis loquentem, qui fortasse victorias somniavit ut ille apud Alexidem.[2])

Postquam lena enarravit triumphos pugilis, iam ceteras eius memorat virtutes v. 54:

πλουτέων τὸ καλόν, οὐδὲ κάρφος ἐκ τῆς γῆς
κινέων, ἄθικτος ναὶ Κυθηρίην[3]) σφρηγίς.

Eius generis laudes lenis fere numquam omittuntur: pudicitiam vafre laudunt eorum, quos commendare volunt. Tali lenae praedicatione decepti haec sunt verba (Epicrates 9, II p. 285 K):

τελέως μ' ὑπῆλθεν ἡ κατάρατος μαστροπός,
ἐπομνύουσα τὰν Κόραν, τὰν Ἄρτεμιν,
τὰν Φερρέφατταν, ὡς δάμαλις, ὡς παρθένος,
ὡς πῶλος ἀδμής· ἡ δ' ἄρ' ἦν μυωνιὰ
ὅλη.

Vides autem quam non differat huic Gyllis: deas testatur (cf. Her. mim. I, 32, 54, 66, 86)[4]), variis utitur imaginibus ad pudici-

---

1) cf. Crusius *Unters.* p. 16.

2) fr. 272, II p. 397 K, quod ad Pancratiasten refert Meinekius:
καὶ μὴν ἐνύπνιον οἴομαί γ' ἑορακέναι
νικητικόν. B. λέγ' αὐτό. A. τὸν νοῦν πρόσεχε δή.
ἐν τῷ σταδίῳ τῶν ἀνταγωνιστῶν μέ τις
ἐδόκει στεφανοῦν γυμνὸς προσελθών . . .

3) ναὶ Κυθ. Buecheler, Zielinski; ἐς Crus.; de proverbio οὐδὲ κάρφος . . . κινέων vide infra p. 33.

4) Rectius igitur scribitur v. 55: ἄθικτος ναὶ Κυθηρίην σφρηγίς (sic Buecheler Zielinski).

tiam demonstrandam. Ad ἄθικτος[1]) σφρηγίς comparetur Aristoph. av. 559, ubi Peithetairos, ne diutius dei libidinentur, constituit ἐπιβάλλειν σφραγῖδ' αὐτοῖς ἐπὶ τὴν ψωλήν, variata sane vocabuli sententia.

Sequentibus versibus primus amatae conspectus egregie describitur v. 56:

ἰδών σε κατόδῳ τῆς Μίσης ἐκύμηνε
τὰ σπλάγχν' ἔρωτι καρδίην ἀνοιστρηθείς

cf. οἰστρῶντι πόθῳ, Menandr. Leucad. fr. 312, 3, III p. 89 K; similem locum fortasse Menandri expressit Plautus Bacch. 1158, ubi senex inducitur subito puellae amore exardescens:

Tactus sum vehementer visco:
Cor stimulo foditur.

Festis deorum diebus ut in vita sic in comoedia et apud Herodam adulescentes conspiciunt virginem eiusque amore inflammantur.[2]) Similiter atque Gyllis conciliatrix, quae est apud Ovidium, describit nascentem iuvenis amorem (Amor. I 8, 23)[3]):

Scis here te, mea lux, iuveni placuisse beato?
haesit et in voltu constitit usque tuo.

Pergit autem lena apud Herodam v. 58:

καί μευ οὔτε νυκτὸς οὔτ' ἐφ' ἡμέρην λείπει
τὸ δῶμα, τέκνον, ἀλλά μευ κατακλαίει
καὶ ταταλίζει καὶ ποθέων ἀποθνήσκει.

Et cuivis haec legenti in mentem veniet adulescentulorum, qui in comoediis precibus atque blanditiis usque utuntur, velut apud Menandrum fr. 558, III p. 170 K:

Διονυσίων μὲν ἦν πομπή . . .
ὁ δὲ μ' ἠκολούθησεν μέχρι τοῦ πρὸς τὴν θύραν.
ἔπειτα φοιτῶν καὶ κολακεύων ἐμέ τε καὶ
τὴν μητέρ' ἔγνω με.[4])

---

1) ἄθικτος erotice apud unum Ararotem usurpatur: ἄθικτος, ἡ παρθένος Bekkeri Anecd. 82, 2; cf. *intacta* Verg. Aen. I, 345.

2) cf. etiam Rohde *Der griech. Roman*² p. 155.

3) cf. Crusius *Unters.* p. 21.

4) = Plaut. Cistell. 89 sq.

Incredibili vero assiduitate comicorum iuvenes lenas vel lenones lacrimis obortis solent rogare, ut amatae sibi copiam faciant.[1]) cf. Plaut. Curcul. 137:

Lena. Phaedrome mi, ne plora amabo.

Terent. Phorm. 520:

Leno. Ego te compluris advorsum ingenium meum mensis tuli
Pollicitantem et nil ferentem, flentem; nunc contra omnia haec
Repperi qui det neque lacrumet.

'Perire amore alicuius' vel similes locutiones sescenties apud comicos indeque apud alios quoque poetas reperies[2]): cf. Terent. (Menand.) Adelph. 332:

qui sine hac iurabat se unum numquam victurum diem.[3])

Ceterum cum tota Gyllidis oratione conferas Scaphae verba in Plauti Mostellaria, quibus similiter atque illa constantiam erae (quae quidem meretrix sit) labefactare studet v. 186:

Sc. Equidem pol miror . . . te . . . stultam stulte facere.
Philem. Quin mone, quaeso, si quid erro.
Scaph. Tu ecastor erras, quae quidem illum expectes unum atque illi
Morem praecipue sic geras atque alios asperneres . . .
v. 194 Phil. Nolo ego mihi male te, Scapha, praecipere. Sc. Stulta's plane,
Quae illum tibi aeternum putes fore amicum et benevolentem.
Moneo ego te: te ille deseret aetate et satietate.

---

1) Cum Herodae loco potest comparari ille Plautinus, quo militi commenticia puellae desideria et suspiria describuntur, Mil. glor. 1031:

Lamentari
ait illam miseram, cruciari et lacrumantem se adflictare
quia tis egeat, quia te careat.

2) Plaut. Merc. 444. Terent. Andr. 311, 322, 347.

3) Bene Crusius confert Ovid. Artis am. I, 365 sq., ubi de conciliatricis opera praescribitur:

Tum de te narret, tum persuadentia verba
Addat et insano iuret amore mori.

Ovidius nimirum elegiacum quendam hoc loco expressit, cui non ignota erat comoedia graeca. cf. supra p. 12 adn. 4.

Philem. Non spero. Sc. Insperata accidunt magis saepe quam quae speres.

216:·

Sc. At hoc unum facito cogites: si illum inservibis solum,
Dum tibi nunc haec aetatulast, in senecta male querere.[1])

Quam similis sit Herodae hic totus locus, comparatio utriusque docet.

Nil agit Gyllis, severe illius procacitatem et petulantiam generosa mulier refutat verbis his:

Γυλλί, τὰ λευκὰ τῶν τριχῶν ἀπαμβλύνει
τὸν νοῦν.

Huic loquelae, quae illustratur Aristoph. equit. 1121: *νοῦς οὐκ ἔνι ταῖς κόμαις ὑμῶν*, similes apud comicos reperiuntur haud paucae. Sic apud Philemonem (inc. fab. fr. 179, II p. 528 K.) nescio quis senem iuvenilibus moribus indulgentem dehortatur:

γέρων γενόμενος μὴ φρόνει νεώτερα,
μηδ' εἰς ὄνειδος ἕλκε τὴν σεμνὴν πολιάν.

In Mostellaria, quae ad eiusdem poetae *Φάσμα* refertur, Tranio de sene insipienti haec dicit v. 1148:

Sapere istac aetate oportet, qui sis capite candido.

Adde Trinum. (Philem.) 43; Mil. gl. 631:

Si albicapillus hic videtur, ne utiquam ab ingeniost senex.

Denique contulit iam Crusius Menandri illud inc. fr. 639, III p. 190 K.:

οὐχ αἱ τρίχες ποιοῦσιν αἱ λευκαὶ φρονεῖν.

cf. adesp. fr. 226, III p. 451 K.

Negat Metricha tam aequo animo sese ab alia muliere accepturam fuisse turpia ista consilia:

χωλὴν δ' ἀείδειν χωλ(ὸν) ἐξεπαίδευσα
καὶ τῆς θύρης τὸν οὐδὸν ἐχθρὸν ἡγεῖσθαι.

Ianua tanquam sit animans apud comicos modo occentatur,

---

1) *μέμψῃ σεαυτῇ* scripsit Crusius v. 44, quae coniectura et per se aptissima est collatisque Scaphae verbis 'in senecta male querere' commendatur.

modo minis et verberibus cumulatur; cum Herodae loco cf. Plaut. Trucul. 352:

Num tibinam amabo ianuast mordax mea,
Quo intro ire metuas.[1])

Denique Metricha vetat illam posthac similem in sermonem delabi v. 73:

σὺ δ' αὖτις ἔς με μηδὲ ἕνα, φίλη, τοῖον
φέρουσα χώρει μῦθον.

Euripidis Hippolyti locum iam supra p. 9 attigimus. Responso suo tam brevi quam gravi Metricha tanquam votum nuncupans addit v. 77:

οὐ γὰρ ἐνγελᾷ τις εἰς Μάνδριν.

Similis est irridendi verbi usus apud comicos romanos, ubi agitur de deceptis in amore. cf. Plaut. Bacch. 515:

Numquam edepol viva me inridebit.

Bacch. 864:

Faxo se haud dicat nactam, quem derideat.

Adeo autem infrequentes sunt apud Herodam et in comoedia tam bene moratae mulieres, ut in tanta deperditarum ac dissolutarum copia haud mediocriter placeant. Velut in Plauti Sticho sorores duae reditum virorum cum desiderio exspectantes novas nuptias perseveranter recusant. Philaenium matris suae avarissimae nec minis nec iracundia deterreri potest, quin uni se Argyrippo dedat. cf. Plaut. Asinar. 542:

Sine me amare unum Argyrippum animi causa, quem volo.

Scapha, vetula Philematii ancilla, quae erae, ut vidimus, suadet, ne unius amore se contineat, verba non minus acerba audit quam Gyllis. cf. Plaut. Mostell. 239:

Si quid tu in illum bene voles loqui, id loqui licebit:
Nec recte si illi dixeris iam ecastor vapulabis.

Mitigata ira Metricha concham vini plenam porrigi iubet nutrici suae, cuius consuetudinem optime novit.

Muliercularum vinolentiam inde a Pherecrate[2]), priscae

---

1) cf. Her. mim. VI, 64: τοὺς γὰρ τελώνας πᾶσα νῦν θύρη φρίσσει. Catull. 67.

2) cf. fragm. 69 et 70, ubi mulier nimium esse aquae in poculum infusum queritur.

comoediae poeta, saepe comici notabant. In primis autem Antiphanem et Eubulum mulieres ebriosas induxisse reliquiae docent, velut apud Antiphanem nescio quae prodit, quae vinum sibi recta ratione misceri[1]) permagni pendit; apud eundem in Mystide (fr. 163) mulier laudat *τὸ ὄχημα τῆς κύλικος ἄξιον τοῦ κλέους τοῦ τῆς ἑορτῆς.*[2]) Diebus festis mulieres etiam tum conveniebant et genio vinum potantes indulgebant. cf. etiam fr. 165, II p. 78 K.

Idem vero vitium maxime lenis tribuitur. Iam apud Eubulum (fr. 80—82) nutrix occurrit vinosa, quae turpiter officium deserit. Huic ergo, ut *πορνοβοσκόν* utque *σκυτέα* induxit, nescio an ne conciliatricis quidem persona aliena fuerit. Etiam elegiacis nota est lenarum ebriositas, de qua re videatur Crusius *Unters.* p. 26.

Mim. II.

Iam ad alterum accedamus mimiambum, quo leno causam dicens inducitur.

Atque inde ab Aristophane comico insanum illud studium, quo causas et lites Athenienses sectabantur, saepe a comicis irrisum est. Aliud mimorum scriptori obversabatur consilium. Nuper autem O. Hensius, cum *Ὑπερείδειον χαρακτῆρα* Herzogius alteri carmini vindicasset, exemplis allatis demonstravit non tam Hyperidem quam universum rhetorum dicendi genus imitari studuisse Herodam.[3]) Quae viri docti sententia optime convenit cum ea notione, quam de ingenio et indole Herodae ipsi concepimus; nunquam enim hic unius vestigia pressit, immo ubique prudenter, quae sibi convenirent, elegit. Recte autem Hensius simul significat, quo consilio mimorum scriptor locos quosdam

---

1) Antiph. fr. 24, II p. 19 K.: *οὐδ' ὑδαρὲς οὐδ' ἄκρατον.*

2) Her. v. 83 sic restituit Crusius: *οὐ . . . πείσουσά σ' ἦλθον, ἀλλὰ ἕκητι τῶν ἱρῶν.*

3) cf. Mus. Rhen. LV p. 231: Aber man wird aus solchen Anklängen (scil. an die Gerichtsrede) auch nicht zu viel folgern dürfen —, et paulo infra: Alles in allem wird man sagen dürfen, der Dichter läſst seinen Battaros einen Anklang geben nicht sowohl an Hypereides als an die attische Gerichtsrede überhaupt.

rhetorum perstrinxerit, nimirum non ut ipsos rhetores artemque rhetoricam more comicorum veterum illuderet, sed ut humilitate totius argumenti mirum in modum magniloquentiae rhetoricae repugnante risus concitaret.[1])

Quamquam cum Herodae carmine toto quidem non est quod ex comoedia recte componatur. Excludebant enim talia comici argumenta ut longiora atque ab incitato fabularum cursu aliena, etsi singulos rhetorum locos hic illic et ipsi attingunt, sicut in vespis Aristophanis pro cane altero accusatore Xanthias haec profert (v. 915):

καί τοι τίς ὑμᾶς εὖ ποιεῖν δυνήσεται,
ἢν μή τι κἀμοί τις προβάλλῃ τῷ κυνί;

αὔξησις quae dicitur apud rhetores, hic perstringitur: cf. Her. v. 92sq. Notum est etiam aliud rhetorum artificium, quo paupertatem praetendat reus iocandoque iudicum severitatem leniat.[2]) Utrumque autem est apud Aristophanem. cf. vesp. 967:

ὦ δαιμόνι' ἐλέει τοὺς ταλαιπωρουμένους·
οὗτος γὰρ ὁ Λάβης καὶ τὰ τραχήλι' ἐσθίει
καὶ τὰς ἀκάνθας.

Ibid. 564 ss. et 567:

οἱ δὲ σκώπτουσ', ἵν' ἐγὼ γελάσω καὶ τὸν θυμὸν κατάθωμαι.

Apud Herodam non is, qui arguitur, Thales, sed ipse qui arguit, leno locos illos adhibet: cf. mim. II, 92sq., 4, 22s. Quod poeta, qua erat indicii subtilitate, certa quadam ratione instituisse videtur, nimiru mut lenoni, nequam scilicet homini

---

1) cf. Hensius sub finem commentationis citatae.

2) cf. Volkmann, *Rhetorik*² p. 284sq. Ioculare quoddam dicendi genus exhibent *παίγνια* quoque illa oratorum Atticorum velut Lysiae, quae quandam mimiambi secundi similitudinem prae se ferre Crusius bene monuit in translat. p. VIII. Etiam Horatius eiusmodi exemplum narrat (sat. I, 7) 'omnibus et lippis notum et tonsoribus'. Clazomenius quidam, cui est nomen Persius, 'durus homo . . ., confidens tumidus, . . . sermonis amari' litem habet cum P. Rupilio Rege (cf. v. 22sq.). Non inficete Persius v. 33:

per magnos, Brute, deos te
oro, qui reges consueris tollere, cur non
hunc Regem iugulas?

Tota Persi actio est Battari haud ita dissimilis. Risum uterque movet audientium; in iudices laudes, probra in adversarios cumulantur.

omnibusque inviso, quamquam ipse accusavit, tamen non aliter agendum esse ostenderet ac reo clementiam iudicis captanti.

Quamquam autem et ipsa vita et ars rhetorica talia exempla suppeditabat, tamen quaerendum est, cur lenonem potissimum causam exponentem induxerit. Ac mihi quidem videtur ex comoediae Atticae notitia illius argumenti nata esse inventio. Saepe enim in comoediis lenonibus res est cum iudicibus, quamquam lis ipsa, quantum scio, nusquam exponitur. In Adelphis enim Terenti in ea parte, quam e Diphili fabula quae inscribitur Συναποθνήσκοντες 'sumpsit sibi in Adelphos, verbum de verbo expressum extulit[1])', leno prodit ira incensus ob iniuriam ab Aeschino adulescente sibi illatam[2]) et minatur illum sese in iudicium esse vocaturum (v. 162):

Tu quod te posterius purges, hanc iniuriam mihi nolle
Factam esse, huius non faciam, crede hoc, ego meum ius persequar,
Neque tu verbis solves umquam, quod mihi re male feceris.
Novi ego vostra haec 'nollem factum: dabitur ius iurandum indignum
Te esse iniuria hac' indignis quom egomet sim acceptus modis.

In Plauti Rudente res ad iudicem defertur, leno[3]) in ius rapitur[4]), nec tamen lis describitur ipsa, sed causa demum perorata redit ille in scaenam calamitatem suam deplorans his (v. 1281):

Quis mest mortalis miserior qui vivat alter hodie
Quem ad recuperatoris modo damnavit Plesidippus?
Abiudicata a me modost Palaestra: perditus sum.

---

1) Ter. Adelph. prol. 10 sq.

2) Nam ille
foris ecfregit atque in aedis inruit
alienas; ipsum dominum atque omnem familiam
mulcavit usque ad mortem; eripuit mulierem
quam amabat;
quibus verbis argumentum adumbratur alterius mimiambi haud absimile.

3) Magna quae intercedit similitudo lenoni, qui est in Adelphis, cum illo, qui est in Rudente, inde nimirum explicatur, quod utriusque commune erat exemplar Diphili.

4) Aliter ac Battarus, qui ipse alterum in ius vocavit.

Fortasse igitur Herodae e comoedia notus erat leno ut homo causis et litibus famosus, et quod argumentum comici tantum perstrinxerant, id dedita opera explicandum sibi proposuit mimographus imitatus simul rhetorica illa, de quibus paulo supra dixi, artificia vel exempla.

In ipsius quidem lenonis descriptione larga Herodae suppetebant comicorum exempla. Primus *Πορνοβοσκόν* scripsit Eubulus, mediae, quae dicitur, comoediae elegantissimus poeta; eiusdem comici fabula inscribitur *Σκυτεύς*, uterque autem titulus reperitur apud Herodam (cf. supra p. 19). Qua de re monuit Hensius (Mus. Rhen. L p. 140), qui hoc quoque observat, in utriusque poetae Sutore vocem *κοχῶναι* legi alioqui satis raram (cf. Eubul. fr. 97, II p. 198 K.).[1] Talem autem consensum casui vix tribuas. Post Eubulum scripsit Anaxilas *Ὑάκινθον* (*ἢ Πορνοβοσκόν*), *Πορνοβοσκόν* Posidippus, Lenonem L. Pomponius, Atellanarum scriptor, saepenumero leno in palliata Romanorum et in reliquiis comoediae Atticae occurrit.

Ubicunque autem depingitur, homo est periurus, sordidus, avarus, summae procacitatis ac petulantiae, ius legesque semper iactans, turpium foedorumque dictorum amantissimus, quaestum suum proterve profitens, ex sterculino, ut Plauti verbo utar, effossus.

Iam versuum ordinem secutus afferam, quae mihi consensu quodam notabilia videntur. Her. mim. II, 9:

> *καὶ ζῶμεν οὐχ ὡς βουλόμεσθα, ἀλλ' ὡς ἡμέας*
> *ὁ και)ρὸς ἕλκει.*

Non plane concordat Terentius (Men.) Andr. 805:

> Ut quimus, aiunt, quando ut volumus non licet.

Ad graecum exemplar rettulit Heindorfius (Plat. Cratyl. 425 c) Menandr. monost. 190:

> *ζῶμεν γὰρ οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.*

---

1) Etiam *πίσυγγος*, quod vocabulum Herodas usurpat mim. VII, 39, apud comicos (fortasse apud ipsum Eubulum?) saepius inveniri Pollux tradit VII, 82: *τοὺς δὲ τὰ ὑποδήματα ῥάπτοντας πισύγγους ἔνιοι τῶν κωμικῶν καλοῦσι, καὶ τὰ ἐργαστήρια αὐτῶν πισύγγια.* Hanc observationem Hensio debeo.

Ad eiusdem Menandri *Πλόκιον* redit hic versus Caecili Stati 177 R.[3]:

Vivas ut possis, quando nec quis ut velis.

v. 11: *πὺξ νενίκηκεν*
Μέννης, Ἀριστοφῶν δὲ κἤτι (?) νῦν ἄγχει.

Pugnis scilicet vicisse Mennes dicitur, quia Thales, eius cliens, pugnis Battarum ceciderat. Sic comici in simili re palaestrae memoriam revocare solent, ut Arist. vesp. 1383, ubi Philocleo filio minatur:

Ἐφουδίων ἐμαχέσατ' Ἀσκώνδᾳ καλῶς
ἤδη γέρων ὤν· εἶτα τῇ πυγμῇ θενὼν
ὁ πρεσβύτερος κατέβαλε τὸν νεώτερον.

cf. Her. v. 73. Adde Plaut. Trin. 482:

verum quod ad ventrem attinet,
Non hercle hoc longe (sc. illi decedam), nisi me pugnis vicerit.

cf. Aulul. 410. In maiore Philemonis fragmento 4, II p. 479 K. lenonem loqui iam Kockius adnotat ex v. 4 colligens. Quamquam autem gravior inter Philemonem et Herodam consensus non apparet, tamen universum sermonis genus abruptum ac concisum, quo et hic et illic leno utitur, aliquam prae se fert similitudinem. Cum Her. 63 sq., 79 sq. conferatur Philem. v. 10 sq.:

ἑστᾶσι γυμναί· μὴ 'ξαπατηθῇς. πάνθ' ὅρα.
οὐκ εὖ σεαυτοῦ τυγχάνεις ἔχων·

Uterque sordidam artem collaudat: hic lenocinium *δημοτικὸν … πρᾶγμα καὶ σωτήριον* appellat (Philem. v. 3), ille meritis Thaletis, quem sic se iactantem facit (v. 16):

ἐξ Ἄκης ἐλήλουθα
πυροὺς ἄγων κἤστησα τὴν κακὴν λιμόν,

sua ipsius opponit, cum ipsum quoque de re publica bene mereri dicat scortis Tyro advectis.[1]) Ab utroque stuprum

1) Battari verba coll. Philem. v. 8: *στῆσαι πριάμενον γυναῖκας* dubito an sic restituere liceat: *ἐγὼ δὲ περνὰς ἐκ Τύρου τι τῷ δήμῳ ἵστημι.*

excusatur (Philem. 6, Herod. 79); omnia permittunt, dum modo pecuniam accipiant. Vide Philem. 15, Her. 83, et quae dicam infra p. 28 ad Her. II, 79.

v. 19: δωρεὴν γὰρ οὔθ' οὗτος πυροὺς
δίδωσ' ἀλή)θειν οὔτ' ἐγὼ πάλιν κείνην.

His adiunge v. 79:

ἐρᾷς μὲν ἴσως Μυρτάλης· οὐδὲν δεινόν,
ἐγὼ δὲ πυρῶν· ταῦτα δοὺς ἐκεῖν' ἕξεις.

Et compares verba lenae Plaut. (Demophil.) Asin. 200:

Quom a pistore panem petimus, vinum ex oenopolio,
Si aes habent, dant mercem: eadem nos disciplina utimur.

cf. 190:

Nec meum quidem edepol ad te ut mittam gratiis.

et Terent. (Apollod.) Phorm. 499:

Adeon te esse ... impudentem, ut ... meam ductes gratiis.

Manifestum est lenonem arguendi studio ablatum, prout oratio progrediatur v. 24sq., plura semper et graviora proferre crimina, ad iustam autem actionem ea tantummodo pertinere, quae a scriba recitentur.[1])

Uni fere cuique huius accusationis parti similes possunt comoediae versus comparari. Atque ut inde ordiar, quod potissimum sit: quantis putas theatrum plausibus concrepuisse, cum leno misere mulcatus prodibat et de accepta iniuria lamentabatur, ut Sannio Terent. (Diphil.) Adelph. 198:

Domo me eripuit, verberavit, me invito abduxit meam
(cf. Herod. v. 24);
Homini misero plus quingentos colaphos infregit mihi.

Talis aspectus, qualis iste in Adelphis, ipsaque verba in mentibus spectatorum putes adeo haesisse ut leno pugnis caesus paene in proverbium abiret. cf. Plaut. Rud. 661:

Audio tumultum: opinor, leno pugnis pectitur.

Facete enim respondet leno: et ipse perinde ac tu aliquid ἵστημι populo, nimirum non famem, sed scorta, qua coniectura sententiae aliquid acuminis reddi nemo negabit. Et ambiguitas inest etiam verbo ἀλήθειν (v. 20).

1) cf. Hensius, Mus. Rhen. LV p. 228.

v. 24: *εἰ … βίῃ τιν' ἄξει τῶν ἐμῶν ἔμ' οὐ πείσας.*
cf. Ter. Adelph. 198: me invito abduxit meam.
Plaut. Rud. 712: Meas mihi ancillas invito me (*ἔμ' οὐ πείσας*) eripis.
Ter. Adelph. 179: Qui tibi magis licet meam habere?
Phormio 500: … ut meam ductes gratiis.

v. 34 sq.: *οὐδ' ἦλθεν*
πρὸς τὰς θύρας μευ νυκτὸς οὐδ' ἔχων δᾷδας
τὴν οἰκίην ὑφῆψεν

v. 52: *ἢν δὲ τὰ οἰκί' ἐμπρήσῃ*

v. 65: *τὰ ὑπέρθυρ' ὀπτά.*

cf. Plaut. Pers. 568: Venient ad te comissatum … illi noctu occentabunt ostium, exurent fores; Turpil. 200: fores exurere; quos locos attulit Leo *Plaut. Forsch.* p. 140.

v. 25: *οἴχεθ' ἡμιν ἡ ἀλεωρή*
τῆς πόλιος, ἄνδρες, κἀφ' ὅτῳ σεμνύνεσθε,
τὴν αὐτονομίην ὑμέων Θαλῆς λύσει.

Tritissimus hic erat rhetorum locus (cf. *τυραννίς*, *δήμου κατάλυσις* sim.), ideo iam a veteribus comicis illusus.[1]) Etiam in nova comoedia inducebantur, qui vim sibi illatam ita lamentarentur, tanquam libertas rei publicae ageretur. Ut Sannio pugnis ictus clamitat Terent. Adelph. 175:

regnumne, Aeschine, hic tu possides?

et 182: Loris liber (scil. operiar)?
O hominem impurum! hicine libertatem aiunt esse aequam omnibus?[2])

v. 28: *ὃν χρῆν ἑαυτὸν ὅστις ἐστὶ κἀκ ποίου*
πηλοῦ πεφύρητ' εἰδότ' ὡς ἐγὼ ζῴειν …

cf. Menand. fr. 305, III p. 87 K.:

ἐπελάθεθ' αὑτὸν ὅστις εἴη.

---

1) Aristoph. vesp. 417: *ταῦτα δῆτ' οὐ δεινὰ καὶ τυραννὶς ἐστιν ἐμφανής* cf. 463, 474, 487; 438.

2) Lucian. Tim. 57; cf. Enger, annal. Fleckeis. LXXVII, 557.

Ubi impune licet, incredibili leno est audacia neque ullo modo promptae et nefariae linguae moderatur. Unus quisque sentiet, opinor, quanta despicientia insit quantumque fastidium in istis verbis. Quae ipsi solent ab aliis opprobrari, ea in adversarium fundit.[1])

Quam festive denique illud est inventum, quod se ipsum leno tanquam boni et probi civis exemplar Thaleti commendat aemulandum (v. 29 sq.); sic sibi ipse laudes dicit leno Plaut. Pers. 474: Sumne probus, sum lepidus civis e. q. s.

v. 42: *καὶ σὺ τὴν ὀπὴν βῦσον*
τῆς κλεψύδρης, βέλτιστε, μέχρις οὗ εἴπη,
μὴ πρός τε κυσὸς φῆσι χὠ τάπης ἡμῖν,
τὸ τοῦ λόγου δὴ τοῦτο, ληΐης κύρση.

Spurcissima voce *κυσὸς* memorata optime poeta significat, cuius generis hominem voluerit describere; etenim qui dictis impudicis atque immundis utebatur, is vocabatur *κυσολέσχης* (cf. *ἀδολέσχης*), *ὃν ἄν τις διασαφῶν κιναιδολόγον ἐρεῖ* (Eustath. 746, 18).[2]) Battarus foramen clepsydrae comparat cum podice aegroti, qui ne stragulam inquinet, verendum est. *κυσὸς φῆσι* fere ut apud Aristoph. Eccles. 367:

οὗτος γὰρ ἀνὴρ ἕνεκά γε στεναγμάτων
οἶδεν τί πρωκτὸς βούλεται χεζητιῶν.

cf. ran. 234: *χὠ πρωκτὸς . . . . . αὐτίκ' ἐγκύψας ἐρεῖ* —

Denique apud Eubulum Sphingocarion hoc aenigma proponit fr. 107, II p. 201 K., quod affert in edit. min. Crusius:

ἔστι λαλῶν ἄγλωσσος . . . ἀξύνετα ξυνετοῖσι λέγων

mirum autem est, quod idem poeta in eodem fragmento (v. 23)

---

1) Ut *ὠναγής* dicit de Thalete, i. *ὁ ἀναγής*, quod adiectivum apud Hippocratem occurrit eadem significatione qua *ἄναγνος* i. impurus, incestus, inquinatus. Impurus autem ipse leno saepe vocatur in comoediis, cf. Plaut. Pers. 407, Pseud. 354, Terent. Adelph. 281. Quid? quod Sannio leno eodem utitur verbo in Aeschinum (o hominem impurum? ubi Dziatzko adnotat: *ein sehr starkes Schimpfwort, welches sonst in der Regel nur gegen lenones und Leute gleichen Schlages gebraucht wird*) nonne idem plane est artificium?

2) Vox *κυσὸς* comica est cf. Etym. m. 311, 45: *κύσον γὰρ εἰώθασιν οἱ κωμικοὶ καὶ τὸν πρωκτὸν καλεῖν.*

foramen urnae, quo tabellae demittebantur, culo comparat ut Battarus clepsydrae:

ἔστιν ἄγαλμα ... ἀνθρώπους τίκτον κατὰ τὴν πυγὴν.

Faceta haec Eubuli aenigmata nescio an cognita habuerit Alexandrinus poeta; quod si verum est, novo confirmatur indicio Hensii sententia.

v. 71: ὦ Γῆρας,
σοὶ θυέτω, ἐπεὶ τὸ αἷμ' ἂν ἐξεφύσησεν
ὥσπερ Φίλιππος ἐν Σάμῳ κοτ' ὁ Βρέγκος.

Nempe merae istae sunt minae hominis mollis et enervati neque quae minatur peragere cogitantis; ad irritum igitur cadunt et tantummodo risum concitant audientis (cf. v. 74). Sic in comoedia quoque tumultuantur minasque iactant, quamquam lenonum mollities in proverbio est.[1]) cf. Plaut. Rud. 710:

Labrax: Iniqua haec patior cum pretio tuo.
Dae.: At etiam minitatur audax.

et 789:

Verum, senex, si te unquam in urbe offendero,
Numquam hercle quisquam me lenonem dixerit,
Si te non ludos pessumos dimissero.

cf. Plaut. Pers. 793:

Dordal.: Ne sis me uno digito attigeris: ne te ad terram, scelus, adfligam.

819: Ego pol vos eradicabo.
846: Ei, colapho me icit. Malum vobis dabo —

sed nil facere audet.

v. 74: κίναιδός εἰμι καὶ οὐκ ἀπαρνεῦμαι
καὶ Βάτταρός μοι τοὔνομ' ἐστί, χὠ πάππος
ἦν μοι Σισυμβρᾶς χὠ πατὴρ Σισυμβρίσκος,
κἠπορνοβόσκευν πάντες.

Hoc loco oratio cinaedi ad summam surgit quasi gravitatem atque dignitatem; vix potest festivius quicquam aut efficacius excogitari. Atqui simillimi inveniuntur in comoedia loci, ut Sannio in Adelphis Terenti quaestus turpitudinem non

---

1) cf. Aulul. 422: mollior magis quam ullus cinaedus.

minus libere profitetur. cf. 161: Leno ego sum. 188: Leno sum, pernicies communis, fateor, adulescentium. Perapte huius versus commonuit Crusius *Unters.* p. 46.

Tum apud comicos quoque infimo loco nati ad patres et avos ridicule provocant; iam Aristophanes hoc artificium adhibebat (vesp. 1396, cf. supra p. 7), tritissimum autem fuisse videtur in nova comoedia. Vide Plaut. mil. gl. 372, ubi servus sic loquitur:

scio crucem futuram mihi sepulcrum:
Ibi mei sunt maiores siti, pater, avos, proavos, abavos.

Cf. Pseud. 560, Stich. 303.

Sed proxime accedunt ad Herodae locum parasiti verba Plaut. Pers. 55:

Nam numquam quisquam meorum maiorum fuit,
Quin parasitando paverint ventris suos.
Pater, avos, proavos, abavos, atavos, tritavos
Quasi mures semper edere alienum cibum.

Ad nomen avi et patris Battari illustrandum adnotat Crusius *Σισύμβριον* meretricis nomen ex Theophilo fr. 11, II p. 476 K.

v. 79: *ἐρᾷς μὲν ἴσως Μυρτάλης· οὐδὲν δεινόν,*
ἐγὼ δὲ πυρῶν· ταῦτα δοὺς ἐκεῖν᾽ ἕξεις.
ἢ νὴ Δί᾽, εἴ σευ θάλπεταί τι τῶν ἔνδον,
ἔμβυσον εἰς τὴν χεῖρα Βαττάρῳ τιμήν,
καὐτὸς τὰ σαυτοῦ θλῆ λαβὼν ὅκως χρῄζεις.

Cum eodem igitur Thalete, a quo tantam sibi contumeliam impositam esse brevi ante conquestus erat, iam pactionem inire vult, dum modo pretium sibi persolvatur.

Cum verbis Herodae supra p. 23, 24 Philemonis versus contulimus hos: (fr. 4, 11, II p. 479 K.):

οὐκ εὖ σεαυτοῦ τυγχάνεις ἔχων·
εἷς ὀβολός· εἰσπήδησον· οὐκ ἔστ᾽ οὐδὲ εἷς
ἀκκισμὸς οὐδὲ λῆρος, οὐδ᾽ ὑφήρπασεν.
ἀλλ᾽ εὐθύς, ὡς βούλει σὺ χὢν βούλει τρόπον.

Similia etiam in palliatis reperiuntur. cf. Plaut. (Demophil.) Asin. 193:

Si mihi dantur duo talenta argenti numerata in manum,
Hanc tibi noctem ... dono dabo.

et 239: Ut voles, ut tibi lubebit, nobis legem imponito:
Modo tecum una argentum adferto, facile patiar cetera.

Sannio in Terenti Adelphis ut Battarus verberibus ictus oblato argento facile placatur; nam hoc cognovit v. 206:

quando eum quaestum occeperis
accipiunda et mussitanda iniuria adulescentiumst.

Etiam Labrax plagis acceptis aliisque imminentibus hoc proponit Plaut. Rud. 726:

Tu, senex, si istas amas, huc arido argentost opus.

Habes, quod hoc quoque loco eximiam admireris Herodae artem, qui ut insigni quadam rerum discrepantia animos delectet, apud honestos et austeros iudices lenonem inducit non aliter se gerentem quam si in lupanari versetur. Nam in his, quae tanquam privatim cum adversario agit (v. 71—81), talem se praebet, qualis est, avarissimum lenonem.[1])

Sed haec hactenus; pauca dicamus etiam de Thalete. Quod apud Graecos et Romanos libidinosi describuntur nautae, hoc comicorum potissimum graecorum imitationi est tribuendum[2]), neque minus crimen superbiae a Battaro nautae illatum. cf. Antiphan. fr. 151, II p. 73 K.:

ἐπὶ χρήμασιν δ' ὢν ἔμπορος φρονεῖ μέγα.[3])

Gratissimus est coquo apud Diphilum (fr. 43, II p. 553 K.) nauta, qui

εἰσπέπλευκεν ἐκ Βυζαντίου
τριταῖος, ἀπαθής, εὐπορηκώς, περιχαρής,
εἰς δέκ' ἐπὶ τῇ μνᾷ γεγονέναι καὶ δώδεκα,
λαλῶν τὰ ναῦλα καὶ δάνει' ἐρυγγάνων,
ἀφροδίσι' ὑπὸ κόλλοψι μαστροποῖς ποιῶν.

cf. Plaut. Pseud. 188: Hedyllium ... quae amica's frumentariis.[4])

---

1) cf. Hensius l. l. 222: Die burleske Art, wie sich das persönliche Moment überall eindrängt ... hat der Dichter mit Bedacht in den Dienst der Charakteristik gestellt.

2) cf. locos a Crusio adscitos *Unters.* p. 52.

3) Cum v. 32 cf. Menandr. 302: *οἱ φυσῶντες ἐφ' ἑαυτοῖς μέγα.*

4) scilicet iis, qui ut Thales navibus frumentum importabant et populo divendebant. cf. Horat. c. III, 6, 30; epod. XVII, 20.

Mim. III.

In tertio carmine mulierem inducit Herodas magistro nequitiam pueri conquerentem.

Iam pridem Graeci de liberorum educatione disputabant et comici hoc ipsum argumentum amplectebantur. Atque vetustissimos quidem praeceptores fama celebrabat Chironem et Linum, quorum alter Achillem, alter Herculem artem musicam docuisse dicitur. Aptissimum autem comoediae praebuit argumentum Hercules, ingenii tarditate et taedio discendi notus, qui a Lino instituitur, a quo magistro fabuloso Alexidis fabula nomen traxit, cuius quod fuerit argumentum, etiam nunc cognosci potest.

Apud Diodorum enim legimus (3, 67): *Λίνον . . . μαθητὰς σχεῖν πολλούς, ἐπιφανεστάτους δὲ τρεῖς, Ἡρακλέα Θαμύραν καὶ Ὀρφέα. τούτων δὲ τὸν μὲν Ἡρακλέα κιθαρίζειν μανθάνοντα διὰ τὴν τῆς ψυχῆς βραδύτητα μὴ δύνασθαι δέξασθαι τὴν μάθησιν, ἔπειθ' ὑπὸ τοῦ Λίνου πληγαῖς ἐπιτιμηθέντα διοργισθῆναι καὶ τῇ κιθάρᾳ τὸν διδάσκαλον πατάξαντα ἀποκτεῖναι*, quae magnam partem ex comoedia deprompta esse Kockius putat. Exstat etiam fragmentum Alexideae fabulae, quo Linus inducitur alumnum suum literis imbuens. Hercules admonitus, ut e libellis unum sibi deligat, *ὀψαρτυσίαν* prehendit; hinc Linus: Alex. fr. 135, II p. 345 K.:

φιλόσοφός τις εἶ,
εὔδηλον, ὃς παρεὶς τοσαῦτα γράμματα
Σίμου τέχνην ἔλαβες.

Vanis igitur et hic indulget ut Cottalus. Ceterum fortasse ante Alexidem simile tractavit argumentum Anaxandrides in fabula, quae *Ἡρακλῆς* inscribitur, ubi Kockius haec adnotat (II p. 144): *videntur duo pueri artis musicae magistro in disciplinam tradi, quorum alter ei magnopere probatur, alter fortasse Hercules fuit.* Quantopere doricae comoediae auctor gavisus sit hilari et faceta descriptione heroum cum aliorum, tum maxime Herculis[1]) qui meminerit, inde deprompta esse illa argumenta suspicabitur,

1) cf. titulos Epicharmi fabularum: *Ἡρακλῆς ὁ παρὰ Φόλῳ, Ἡρακλῆς ὁ ἐπὶ τὸν ζωστῆρα.*

ita ut illa Alexidis fabula quandam Epicharmi fabularum notionem suppeditare videatur.[1])

Ceterum iam Epicharmus id argumentum detractis mythi quasi involucris ad vitam cottidianam transtulisse videtur, ut concludas ex Agrostini fragmento hoc: *ὡς ταχὺς Κόλαφος περιπατεῖ δῖνος*[2]), doricus igitur poeta primus, quantum cognosci potest, personam plagosi magistri expressit, qualis etiam his incerti poetae versibus describitur: fr. 161, III, p. 440K:

ὁ δὲ παιδαγωγὸς ἔνοπλος ἑπόμενος, φορῶν
βακτηρίαν ἢ σκῦτος ἐν τῇ δεξιᾷ.

Quin etiam Socrates, ut terribilis ille apud Epicharmum magister, plagas minatur Aristoph. nub. 492; nam Aristophanes hominem inducit rusticum, qui quaestiones sibi a Socrate propositas perperam intellegit et perverse omnia agit similiter fortasse atque ille Agrostinus Epicharmi[3]) aut Hercules Alexidis.

Complura autem sunt, quae Herodae cum Aristophane conveniunt, velut cum Metrotima comparari possunt ex parte Strepsiadis querelae de filii luxuria nub. 12:

ἀλλ' οὐ δύναμαι δείλαιος εὕδειν δακνόμενος
ὑπὸ τῆς δαπάνης καὶ τῆς φάτνης καὶ τῶν χρεῶν
διὰ τουτονὶ τὸν υἱόν· ὁ δὲ κόμην ἔχων
ἱππάζεταί τε καὶ ξυνωρικεύεται
ὀνειροπολεῖ θ' ἵππους. ἐγὼ δ' ἀπόλλυμαι
ὁρῶν ἄγουσαν τὴν σελήνην εἰκάδας.

adice nub. 33:

ἀλλ' ὦ μέλ', ἐξήλικας ἐμέ γ' ἐκ τῶν ἐμῶν.

cf. Her. mim. III, 5:

ἔκ μευ ταλαίνης τὴν στέγην πεπόρθηκεν
χαλκίνδα παίζων.

---

1) In Plauti Bacchidibus e Menandrea *Δὶς Ἐξαπατῶν* expressis (cf. Ritschl Parerga 405). Lini et Herculis mentio inicitur eo loco, quo Pistoclerus adulescens haec paedagogo minatur v. 155

Fiam, ut ego opinor, Hercules, tu autem Linus.

2) Hes. *κόλαφος· κόνδυλος. παρὰ δὲ Ἐπιχάρμῳ — καὶ παιδοτρίβου ὄνομα*; plura de hac re profert Crusius *Unters.* p. 78, Philol. suppl. VI, 29.

3) Ad Epicharmum sese applicasse Aristophanem in Nubibus componendis arbitratur Crusius Philol. suppl. VI, 291.

et 9: καὶ τριηκὰς ἡ πικρὴ
τὸν μισθὸν αἰτεῖ κἢν τὰ Ναννάκου κλαύσω.

Phidippides de priore sua inertia hoc dicit v. 1402:

οὐδ' ἂν τρί' εἰπεῖν ῥήμαθ' οἷός τ' ἦν πρὶν ἐξαμαρτεῖν

quo cum loco conferre iuvat Her. v. 22, 30 sq.

Si quid puer peccaverat, apud veteres ἐπετρίβετο τυπτόμενος πολλάς, ὡς τὰς Μούσας ἀφανίζων (Aristoph. nub. 972); cf. Plaut. Bacch. 433 (Crusius *Unters.* p. 76).

Cum librum legeres, si unam peccavisses syllabam,
Fieret corium tam maculosum quamst nutricis pallium.

quo cum loco cf. Her. 89 sq.:

ἀλλ' ἐστὶν ὕδρης ποικιλώτερος πολλῷ
καὶ δεῖ λαβεῖν νιν κἀπὶ βυβλίῳ δήκου
τὸ μηδέν, ἄλλας εἴκοσιν γε.[1])

Eorum, quae Metrotima puero opprobrat, tanquam cardo est sententia haec, quae in Bacchidibus occurrit (v. 164; loquitur paedagogus):

Nimio's tu ad istas res discipulus docilior
Quam ad illa quae te docui, ubi operam perdidi.

cf. Her. mim. III, 8 sq., 53 sq.

Pueris bene moratis ne muttire quidem licuisse priscorum temporum laudator narrat nub. 963:

πρῶτον μὲν ἔδει παιδὸς φωνὴν γρύξαντος μηδέν' ἀκοῦσαι;

at apud Herodam idem parentibus non licet adversus filium, mim. III, 36:

ἢν δέ δή τι καὶ μεῖζον
γρύξαι θέλωμεν.

Iam singulas res afferamus secundum versuum ordinem.

v. 11 et 64: πρὸς δὲ τὴν παίστρην
ἐν τοῖσι προὐνίκοισι χαλκίζεις φοιτέων.

---

1) ἄλλας εἴκοσίν γε scil. πληγάς, ut Aristophanis loco supra laudato (v. 972); cf. etiam Aristoph. av. 1018: ἐπίκεινται γὰρ ἐγγὺς αὗται i. πληγαί. Sed haec ellipsis ubique frequens est.

Praeteriens volo attingere hunc Sophronis locum (fr. 129 Kaibel): *Δειπνήσας ὠστίζεται τοῖς τρηματιζόντεσσι*, qui locus permagni esset momenti, si constaret puerum Cottali similem dici, qui cenatus inter aleones versaretur; sed etiam mulieris maritus aut quilibet alius potest significari.

v. 24: *τριθημέρῃ Μάρωνα γραμματίζοντος*
τοῦ πατρὸς αὐτῷ τὸν Μάρωνα ἐποίησεν
οὗτος Σίμωνα ὁ χρηστός.

cf. Aristoph. vesp. 97:

καὶ νὴ Δί' ἢν ἴδῃ γέ που γεγραμμένον
υἱὸν Πυριλάμπους ἐν θύρᾳ Δῆμον καλόν,
ἰὼν παρέγραψε πλησίον 'κημὸς καλός'.

Ut Philocleo incredibili insania affectus semper secum tales cogitationes volvit, quae ad iudicia pertinent; *κημὸς* autem ponit pro *Δῆμος*, quia illud partem quandam urnae significat: sic Cottalus pro Marone facit Simonem, quod vocabulum alearum iactum significat, cf. etiam Eubuli fr. 57, II p. 183 K.

v. 28: *αὐτὸν διδάσκω . . .*
δοκεῦσ' ἀρωγὸν τῆς ἀωρίης ἕξειν.

cf. ex incertis incertorum fab. 38 p. 141 R³:

Si nunc redire posset ad superos pater,
Qui te tutamen fore sperarat familiae
Domuique columen

quae matri vel paedagogo tribui possunt.

v. 48: *Κοττάλου . . .*

Ut lenonem balbutientem et blaterantem (cf. *βατταρίζειν*) *Βάτταρον*, sutorem lucri cupidum *Κέρδωνα* appellavit, sic etiam pueri nomen, si quid video, ratione etymologica formavit, ut comici fere faciebant (cf. infra p. 43); nempe aleatori nomen Cottalo indidit ob similitudinem vocis *κόττος* (inde *κοττίζω*), quae aleam significat.

v. 66: *ἐγώ σε θήσω κοσμιώτερον κούρης*
κινεῦντα μηδὲ κάρφος.

Eadem proverbia respexit Aristophanes Lysistr. 473:

ἐπεὶ θέλω 'γὼ σωφρόνως ὥσπερ κόρη καθῆσθαι,
λυποῦσα μηδέν' ἐνθαδί, κινοῦσα μηδὲ κάρφος.

Monuit Crusius *Unters.* p. 16.

v. 81: *Κ. παῦσαι, ἱκαναί, Λαμπρίσκε. Λ. καὶ σὺ δὴ παῦσαι κάκ' ἔργα πρήσσων.*

cf. Plaut. Mostell. 1173
Call.: Tranio, quiesce, si sapis. Th. Tu quiesce hanc rem modo petere.

v. 93: *λάθοις τὴν γλάσσαν ἐς μέλι πλύνας*

cf. Plaut. Trucul. 178, ubi Diniarchus de meretricum linguis:
In melle sunt linguae sitae vostrae atque orationes.

Mim. IV.

Quarti quidem carminis argumentum ab atticae comoediae indole alienum videtur. Scimus autem ex Athenaeo (VIII, 362 B) ab Epicharmo homines esse inductos *καθορῶντας τὰ ἐν Πυθοῖ ἀναθήματα.* Et simile argumentum tractavit Sophron in Isthmiazusis, quas Theocritus spectavit in idyllio XV (*Συρακόσιαι ἢ Ἀδωνιάζουσαι*) componendo. Nonnulla Herodae convenire cum Theocrito iam supra p. 6[3] monui, sed observanda est iudicandi ratio, qua apud utrumque artificum opera mulieres percensent, cf. Theocr. XV, 78:

Γοργώ. *Πραξινόα, πόταγ' ὧδε. τὰ ποικίλα πρᾶτον ἄθρησον,*
λεπτὰ καὶ ὡς χαρίεντα. θεῶν περονάματα φασεῖς.
Πραξιν. *Πότνι' Ἀθαναία· ποῖαί σφ' ἐπόνασαν ἔριθοι,*
ποῖοι ζωογράφοι τἀκριβέα γράμματ' ἔγραψαν.
ὡς ἔτυμ' ἑστάκαντι, καὶ ὡς ἔτυμ' ἐνδινεῦντι,
ἔμψυχ', οὐκ ἐνυφαντά. σοφόν τοι χρῆμ' ὤνθρωπος.

Sic ut apud Herodam veritas maxime picturarum laudatur qua mulierum oculi tenentur; ad caelum pictorum ars effertur, non hominum, sed deorum haec esse opera affirmant, totus ut locus simillimus sit Herodae. Ex quo Theocriti et Herodae consensu hoc sane effici potest hunc quoque ex parte Sophronis institisse vestigiis, sed describendam sibi sumpsit non alienam, verum domesticam, fortasse ipsius patriae, copiam signorum ac tabularum, quibus Coum Aesculapii fanum conspicuum erat. Neque igitur dubito quin hoc quoque carmine plurima ex ipsius ingenio fluxerint.

Perpauca ex atticae comoediae fragmentis comparari possunt; ad v. 25:

ἵλεως εἴη
καὶ τοῖσδ' ὁ Παιὼν καὶ Εὐθίῃ καλῶν ἔργων

apte adscripsit Crusius Antiphan. fr. 163, II p. 77 K.:

τούτῳ δέ, τέκνον, πολλὰ κἀγάθ' οἱ θεοὶ
τῷ δημιουργῷ δοῖεν, ὅς ἐποίησέ σε.[1])

Adiciam laudes ab eodem comico (fr. 209, II p. 102 K.) Philoxeno poetae tributas:

πολύ γ' ἐστὶ πάντων τῶν ποιητῶν διάφορος
ὁ Φιλόξενος . . . θεὸς ἐν ἀνθρώποισιν ἦν
ἐκεῖνος, εἰδὼς τὴν ἀληθῶς μουσικήν κ. τ. λ.

Et hic enim ad deos effertur ob artis praestantiam.

Immiscuit poeta huic carmini ut ceteris fere omnibus iurgia et convicia eo fortasse consilio, ut argumento actione nimis carenti plus inderet alacritatis.

Mim. V.

Ad quintum carmen nihil habeo, quod in universum moneam; talia enim argumenta, quale huius est, a comicis, quantum scio, tractata non sunt. Agedum singula percurramus.

v. 2: κινεῖν (τὰ σκέλη)

obscena significatione saepius apud comicos usurpatur, velut in Aristoph. nub. 1371:

ὡς ἐκίνει
ἀδελφὸς . . . τὴν ὁμομητρίαν ἀδελφήν.

v. 5: προφάσεις πᾶσαν ἡμέρην ἕλκεις

cf. Aristoph. Lys. 726:

πάσας προφάσεις . . . ἕλκουσιν,

ubi ut apud Herodam de mulieribus dicitur.

v. 7: καὶ μή τό μευ αἷμα νύκτα κἠμέρην πῖνε

1) cf. Prop. 4, 2, 61.

quae imago iam tragicis usitata[1]) comicis erat tritissima. cf. Aristoph. nub. 712:

καὶ τὴν ψυχὴν ἐκπίνουσιν.

Aristoph. fr. 598, I p. 544 K.: τὸ δ' αἷμα λέλαφας τοὐμόν. Adscripsit Crusius Plaut. Epid. 188:

iam ego me convortam in hirudinem atque eorum exsugebo sanguinem.

Bacch. 372 (agitur de meretricibus):

Apage istas a me sorores quae hominum sorbent sanguinem.

Prope ad locum Herodae accedit Plaut. Curcul. 152 (Phaedromus ante portas amatae):

quae mihi misero amanti ebibit sanguinem.

v. 9: *Πυρρίης*

servi nomen iam Aristophani tam usitatum, ut pro servis poneret πυρρίαις ran. 730 (schol. ἀντὶ τοῦ δούλοις). Burria servi nomen in Terenti Andria.

v. 15: ἥ σε θεῖσα ἐν ἀνθρώποις.

Praeter Petron. 74 conferas quae apud Theophilum (fr. 1, II p. 473 K.) servus secum reputat:

τί δρᾶν βουλεύομαι;
προδοὺς ἀπιέναι τὸν ἀγαπητὸν δεσπότην,
τὸν τροφέα, τὸν σωτῆρα, δι' ὃν εἶδον νόμους
Ἕλληνας, ἔμαθον γράμματ', ἐμυήθην θεοῖς;

v. 22: ὡς μὴ καλῶς γένοιτο τἠμέρῃ κείνῃ,
ἥ τις σ' ἐσήγαγ' ὧδε,

qui locus tragicum prae se fert colorem, sed cf. Plaut. Captiv. 464:

Nam hercle ego huic diei oculos effodiam lubens:
Ita malignitate oneravit omnis mortalis mihi;

et 774.

v. 26: Βίτιννα, ἄφες μοι τὴν ἁμαρτίην ταύτην.
ἄνθρωπός εἰμι, ἥμαρτον· ἀλλ' ἐπὴν αὖτις
ἕλῃς τι δρῶντα τῶν σὺ μὴ θέλῃς, στίξον.

---

1) Soph. El. 785, Antig. 532.

Sollemnis est excusatio: Menand. fr. 499, III p. 143 K:

ἄνθρωπος ὢν ἥμαρτον

contulit Crusius. Adde Terent. (Menand.) Adelph. 470

Persuasit nox amor vinum ... Humanumst. Praeterea conferenda ea sunt, quae supra p. 9 monuimus; sed cum toto Herodae loco componas Plaut. (Diphil.) Casin. 1000:

Sed, uxor, da viro hanc veniam ...
Si umquam posthac aut amasso Casinam aut occepso modo
Ne ut eam amasso, si ego umquam adeo posthac tale admisero,
Nulla causast, quin pendentem me, uxor, virgis verberes.

Terent. (Menand.) Eunuch. 852 sq. Chaerea adulescens, qui virginem vitiavit, sic a Thaide veniam petit:

Unam hanc noxiam
Amitte: si aliam admisero umquam, occidito.[1])

v. 29: πληκτίζεν

alienum videtur, quod legitur apud Aristophanem Eccles. 963: πληκτίζεσθαι μετὰ τῆς σῆς πυγῆς.

v. 67: κατηρτήσθω
οὕτω κατὰ μυὸς ὥσπερ ἡ Δάου τιμή.

Quo loco comprobari videtur non modo tacite comoediam spectasse Herodam, sed data occasione etiam disertis verbis indicare; nam ἡ Δάου τιμή haud dubie est 'Davi poena', quam Meisteri interpretationem etiam Crusius priori suae praefert. Sicut enim in ipsis comoediis, qui in scaenam prodeunt, nonnumquam comoediarum exempla respiciunt[2]), sic Herodas servum nequam e comoedia notum hic significare videtur. Quam nota autem fuerit Davi persona, cum ex aliis apparet testimoniis[3]) tum e fabu-

---

1) cf. Verg. Aen. IV, 19 ubi Dido: huic uni forsan potui succumbere culpae (scil. amori Aeneae).

2) cf. Plaut. Captiv. 778:

Nunc certa res est, eodem pacto ut comici servi solent,
coniciam in collum pallium.

3) cf. Hesych. Δᾶος· ἀγγάριος. δούλου ὄνομά τι, εἰ καὶ ἐλεύθερος. καὶ εἰς κωμῳδίαν εἰσαγόμενος. Philostr. Imag. 1, 3: χρῆται (scil. τῇ ἀλώπεκι) ὁ Αἴσωπος διακόνῳ τῶν πλείστων ὑποθέσεων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ. Galenus De natural. facult. 1, 17 (II, 67 Kuehn) ὁμοίως τοῖς

larum Menandri reliquiis exemplisque palliatae, ut in Terenti (Menand.) Andria Davus servus 'sublimen' rapitur et quadrupes constringitur, quod supplicium simile esse videtur ab Heroda significato; Ter. Andr. 965 sq. idem misere laceratus in scaenam prodit de tormentis illis conquestus. Similis comici alicuius locus observatus esse videtur Herodae.

v. 77: *ἀλλ᾽ ἐπείπερ οὐκ οἶδεν*
ἄνθρωπος ὢν ἑωυτὸν κ. τ. λ.

cf. Philem. fr. 195, II p. 531 K: *ἄνθρωπος ὢν τοῦτ᾽ ἴσθι καὶ μέμνησ᾽ ἀεί.* servis quoque idem poeta humanitatem vindicat fr. 22, II p. 484 K:

κἂν δοῦλος ᾖ τις, οὐδὲν ἧττον, δέσποτα,
ἄνθρωπος οὗτός ἐστιν, ἂν ἄνθρωπος ᾖ.[1])

Eiusmodi autem sententiae eis maxime poetis, qui Philemonis et Menandri aetate erant, in deliciis fuerunt.[2])

Hoc ipsum iram incitat Bitinnae, quod humanitatem servus delicatus abiecerit et *ἑπτάδουλον* se praebuerit.

v. 85: *ἄξεις τότ᾽ ἀμέλει τὴν ἑορτὴν ἐξ ἑορτῆς.*

Iocose vocem *ἑορτὴν* iam comici adhibebant; contulit Crusius: *ἄγουσιν ἑορτὴν οἱ κλέπται*[3]) et *πορδῶν* (sic. Mein.) *ἑορτὴν* (fr. adesp. 188, III p. 444 K.). cf. etiam Plaut. Captiv. 468 'esurialis ferias'.

Mim. VI (IX, XI).

Sexti mimiambi argumentem foedum atque obscenum ne comici quidem attingere verebantur. cf. Cratin. fr. 316[4]):

μισηταὶ δὲ γυναῖκες ὀλίσβοισι χρήσονται.

ὑπὸ βελτίστου Μενάνδρου κατὰ τὰς κωμῳδίας εἰσαγομένοις οἰκέταις, Δάοις τέ τισι καὶ Γέταις, οὐδὲν ἡγουμένοις σφίσι πεπρᾶχθαι γενναῖον, εἰ μὴ τρὶς ἐξαπατήσειαν τὸν δεσπότην. Crusius *Unters.* p. 109.

1) cf. Lorenz in Plauti Most. p. 199. Petron. 71. Seneca epist. 47, 10.

2) cf. Menand. Monost. 4, 8, 16, IV, p. 340 M.

3) Bekk. Anecd. 331, 11: *χαριεστάτη ἡ σύνταξις καὶ ἱκανῶς πεπαισμένη κατὰ τὴν κωμῳδίαν κτἑ.*

4) Crusius *Unters.* p. 130.

Apud Aristophanem Lysistrata de eadem re dicit v. 108 sq.:

ἐξ οὗ γὰρ ἡμᾶς προὔδοσαν Μιλήσιοι,
οὐκ εἶδον οὐδ' ὄλισβον ὀκτωδάκτυλον,
ὃς ἦν ἂν ἡμῖν σκυτίνη 'πικουρία.

Muliercularum libidinem, lasciviam, luxuriam mediae comoediae poetis in iisque maxime Eubulo salibus defricare erat in deliciis. Idem mulierum et adulescentium conventus describebat, quos non tam sacrorum faciendorum, quam libidinis explendae causa habebant.[1])

Domesticam mulierum vitam Herodas etiam in Aponestizomenis et Synergazomenis descripsisse videtur, qui mimiambi si essent integri, amplissimam haud dubie suppeditarent quaestioni nostrae materiam. Quorum alter incipit a verbis

ἕζεσθε πᾶσαι. κοῦ τὸ παιδίον;

pupus igitur adest ut etiam apud Theocritum (XV, 11 sq.). Mulieres inducebantur potantes; acute fragmentum γλήχωνα adgnovit Buechelerus et 'ientaculo' adscripsit, ad sacra Cereris istam potionem pertinere recte iudicavit Crusius.[2]) Tales autem mulierum conventus iam a Sophrone descripti[3]) maxime a mediae comoediae poetis repraesentantur[4]), sed erat Menandri quoque fabula *Συναριστῶσαι* cf. fr. 451, III, p. 129 K.[5]) De meretricibus etiam in Aponestizomenis agi ut in Synergazomenis verisimile est. Huius quidem carminis versus exstat hic: *προσφὺς ὅκως τις χοιράδων ἀναρίτης*, ubi Buechelerus bene *προσφῦσ'* scripsit conl. Aristoph. Plut. 1095: *τὸ γρᾴδιον ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσίσχεται*[6]) ita ut facile intellegas, quibus

1) cf. fr. 75, II p. 190 K. — Quantopere talia Eubulus argumenta adamaverit, ipsi fabularum tituli docent a meretricum nominibus petiti, velut Clepsydra, Neottis (cf. Herod. mim. VI, 20, 22), Plangon, Chrysilla.

2) *Unters.* p. 161.

3) cf. fr. 15—18; etiam *Ταὶ συναριστῶσαι* fabulam Sophronis fuisse coniecit Wilamowitzius.

4) cf. Antiphon. Myst. fr. 163, 165. Eubul. fr. 43, 124, 125 etc.

5) cf. fr. 455 Plin. Nat. hist. 23, 159 Mayh. (myrtus sativae semen) odorem oris commendat vel pridie commanducatum. ita apud Menandrum Synaristosae hoc edunt.

6) cf. Aristoph. vesp. 105, ubi ea imago de Philocleone usurpatur iudicia frequentantis: *ὥσπερ λεπὰς προσεχόμενος τῷ κίονι*; cf. fr. ad. 728, III p. 537; fr. 1306 p. 626.

in rebus operantium mulierum versetur sermunculus, nempe qui est mos mulierum, aliarum res perstringuntur. Muliebres enim hi mimiambi nescio an quandam prae se tulerint similitudinem dialogorum meretricum Luciani[1]), qui comoediae exempla ante oculos habuerit.

Sed subicio, quae cum mim. VI mihi componenda videntur. Scaena quidem eadem est ac Theocrit. XV.[2]) Iam videamus singulos versus:

v. 2: *πάντα δεῖ με προστάσσειν*
αὐτήν, σὺ δ' οὐδ' ἓν ἄν, τάλαινα, ποιήσαις
αὐτὴ ἀπὸ σαυτῆς. ... ἀλλὰ τἄλφιτ' ἦν μετρέω,
τὰ κρῖμν' ἀμιθρεῖς.

cf. Plaut. (Menand.) Stich. 58

Qui manet ut moneatur semper servos homo officium suom
Nec voluntate id facere meminit, servos is habitu hau probust.
Vos meministis quot calendis petere demensum cibum:
Qui minus meministis quod opus sit facto facere in aedibus.

v. 4: *μᾶ, λίθος τις, οὐ δούλη*
ἐν τῇ οἰκίῃ κεῖσ' (cf. IV, 47)

cf. Aristoph. nub. 1201:

τί κάθησθ' ἀβέλτεροι, — λίθοι.[3])

v. 10: ... *θῦέ μοι ταύτῃ.*

Pleniorem reperis loquelam istam apud Plautum. cf. Asin. 713: atque ut deo mi hic immolas bovem. Captiv. 862 Erg.: ut sacrifices. Heg.: Quoi deorum? Erg.: Mihi hercle ...

v. 12: *φίλη Κοριττοῖ, ταὐτό μοι ζυγὸν τρίβεις.*

cf. com. adesp. fr. 524, III p. 504 K.:

ἐγώ τε καὶ σὺ ταὐτὸν ἕλκομεν ζυγόν,

quem versum ad comoediam rettulit Meinekius Phil. XXV, 537.

---

1) in quibus meretricis nomen occurrit *Μυρτάλη* ut Her. I, 89, II, 65.

2) cf. Her. v. 1 *Κάθησο, Μητροῖ· τῇ γυναικὶ θὲς δίφρον* et Theocr. XV, 2: *ὅρη δίφρον, Εὐνόα, αὐτᾷ,* 3: *καθίζεν.* cf. supra p. 6[3], 34. Ista videtur fuisse scaena muliebrium, qui dicuntur, mimorum Sophronis.

3) Aliter Apollod. Hecyr. fr. 9, III p. 284 K.: *σύ με παντάπασιν ἥγησαι λίθον*; Plaut. mil. gl. 236: Neque habet plus sapientiae quam lapis cf. v. 1024, Mostell. 1073.

v. 13: κἠγὼ ἐπιβρύχουσα ... κύων ὑλακτέω[1])

cf. Plaut. mil. gl. 681, ubi caelebs Periplecomenus haec loquitur:

Set nolo mi oblatratricem in aedis intromittere.

v. 16: ... νώβυστρα, ὦτα μοῦνον καὶ γλᾶσσαι,
τὰ δ' ἄλλ' ἑορτή.

cf. Eurip. Alex. fr. 50: οὕτω γὰρ κακὸν δούλων γένος γαστὴρ ἅπαντα κτέ cf. Plut. Mor. 54b: γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῇ βλέπων ὀφθαλμός ...

Talia saepius haud dubie comici effinxerunt, sed non habeo, quae Herodae loco accuratius respondeant. Cum sententia conferri potest Terent. (Menand.) Andr. 336:

At tu (servus appellatur) hercle haud quicquam mihi,
Nisi ea quae nil opus sunt sciri. fugin hinc?

v. 41: ... τήν μευ γλῶσσαν ἐκτεμεῖν δεῖται.

cf. Plaut. Amphitr. 556:

iam quidem hercle ego tibi istam
scelestam, scelus, linguam abscidam.

mil. glor. 318: Non tu tibi istam praetruncari linguam largiloquam iubes, cf. Aulul. 189.

v. 42: ἐκεῖνο δ' οὗ σοι καὶ μάλιστ' ἐπεμνήσθην

(cf. V, 53.)

Aristoph. av. 1632:

καὶ νὴ Δί' ἕτερόν γ' ἐστὶν οὗ 'μνήσθην ἐγώ;

nempe cottidianum uterque sermonem est imitatus.

v. 54: ἦν μέν κοτ', ἦν τις, ἀλλὰ νῦν γεγήρακε.

Tales sententiae meretricibus maxime conveniunt, quas cum ad quaestum faciendum iuventute iis opus sit et forma, valde senectutis taedet. Hinc ista verborum per anaphoram gravitas ἦν μέν κοτ', ἦν τις explicanda.[2]) Similiter Bacchides meretrices

---

1) Varro de l. l. VII, 103 M. attigit hunc Plauti locum: 'pipulo te hic differam ante aedis (= Aulul. 446) id est convicio, declinatum a pipatu pullorum. Multa ab animalium vocibus tralata in homines, partim quae sunt aperta, partim obscura.' Exempli gratia addit 'latrare' (cf. κύων ὑλακτέω), cf. Her. VII, 123.

2) cf. fr. adesp. 276, III p. 458 K.: ἤμην ποτ', ἤμην τῶν σφριγώντων ἐν λόγοις, ad τις Menand. fr. 156: τὸ δοκεῖν τιν' εἶναι.

de senibus loquuntur Plaut. Bacch. 1129:

Vetulae sunt minae ambae. Sor.: At bonas fuisse credo.

1135: Exoluere, quanti fuere.

cf. Most. 199 (anus loquitur): vides quae sim: et quae fui ante.

v. 60: οὐδ' ἂν σῦκον εἰκάσαι σύκῳ
ἔχοις ἂν οὕτω.

Comparat Crusius poetae cuiusdam versus quos servavit Cicero (Att. 4, 8, 2):

σύκῳ, μὰ τὴν Δήμητρα, σῦκον οὐδὲ ἓν
οὕτως ὅμοιον γέγονεν.

v. 75: κοίην δ' οὐ προσήγαγον πειθοῦν
αὐτῷ; φιλεῦσα, τὸ φαλακρὸν καταψῶσα,
γλυκὺν πιεῖν ἐγχεῦσα, ταταλίζουσα.

Conferas scortorum blanditias apud Xenarchum (Pentathl. fr. 4, 13):

αὐταὶ βίαζονται γὰρ εἰσέλκουσί τε,
τοὺς μὲν γέροντας ὄντας ἐπικαλούμεναι
πατρίδια.[1])

Crusius (*Unters.* p. 123) confert Plaut. Trin. 243 sq. et Trucul. 253 sq. Muliebres blanditiae apud Ephippum quoque describuntur (fr. 6, II p. 254 K.):

ἔπειτά γ' εἰσιόντ', ἐὰν λυπούμενος
τύχῃ τις ἡμῶν, ἐκολάκευσεν ἡδέως,
ἐφίλησεν . . ., ᾖσε, παρεμυθήσατο.

Mim. VII.

Septimum quidem carmen excepto altero mihi praestantissimum esse videtur: tam scite sutorem poeta effinxit garrientem, cursitantem, cum servis rixantem, merces praedicantem, iurantem, mulieribus adulantem, tam egregie omnia composuit, ut vel iis,

1) πατρίδιον (cf. Aristoph. vesp. 986) ἐπικαλεῖσθαι = πατερίζειν (cf. Aristoph. vesp. 652); idem mihi videtur significare ταταλίζειν (cf. Crusius *Unters.* p. 124).

qui nostra aetate summam artis veritatem postulant, concedendum sit a nullo posse veterem poetam ea re superari.

Atque ut pauca de ipsius Cerdonis persona praemittam, homo est calvus (cf. VI, 59; VII, 71), quales iam Aristophanis aequales risus captandi gratia inducere solebant (cf. Aristoph. nub. 540). Cerdoni autem nomen sutori poeta imposuit, quo eum lucri significaret captatorem (cf. v. 74).[1]) Nam ab Heroda nonnumquam sicut a comicis hanc observari legem, ut nomina personarum illuminet ratione etymologica (cf. Donat. Ter. Adelph. 26), haud paucis confirmatur exemplis.[2]) cf. Plaut. Pers. 624, ubi cum parasiti filia Lucridi sibi nomen esse dixerit, leno pergit:

Si te emam, mihi quoque Lucridem confido fore te.

Σκυτεύς fabulam Eubulus quoque scripsit, atque unum quod huius fabulae exstat vocabulum *κοχῶναι* fr. 97 K., in Herodae quoque carmine occurrit v. 48; de qua Hensii observatione iam supra p. 22 monuimus. Sed saepenumero in fragmentis mediae comoediae mentio inicitur tabernariorum, institorum, cauponum, aliorum huius generis hominum, atque ita quidem, ut plerumque non ipsi inducantur, sed per alios de iis narretur; sed est, ubi ipsos loquentes agnoscas, ut in Eubuli fragmento 99, II p. 198 K.:

στεφάνους ἴσως βούλεσθε. πότερ' ἑρπυλλίνους
ἢ μυρτίνους ἢ τῶν διηνθημένων;
B. τῶν μυρτίνων βουλόμεθα τουτωνί. σὺ δὲ
τά γ' ἄλλα πώλει πάντα πλὴν τῶν μυρτίνων.

Apud Nicostratum fr. 33, II p. 228 K.:

ἀλύσεις, καθετῆρας, δακτυλίους, βουβάλι', ὄφεις,
περισκελίδας, ἐλλέβορον tabernarium mihi audire videor ut Cerdonem merces enarrantem; sed alius quoque nescio quis muliebria ornamenta memorare poterat. *λυροποιός* certe in cognomini Anaxilae fabula haec dicit:

ἐγὼ δὲ βαρβίτους, τριχόρδους, πηκτίδας,
κιθάρας, λύρας, σκινδαψὸν ἐξηρτυόμαν.

---

1) Vide Friedlaender ad Iuvenal. 4, 153 cum Buecheleri adnotatione.

2) cf. proverbium notissimum (Diogenian. Vind. 3, 4, II p. 36 L.): *Κέρδων γαμεῖ. παρὰ τὸ ὄνομα εἴρηται ἐπὶ τῶν διὰ κέρδος αἱρουμένων τὸν γάμον.* Crusius *Unters.* p. 120.

Qui manuum suarum opera simillima Cerdonis enarratione commemorat. Quam fuerint frequentes in nova comoedia eiusmodi personae, ipsi fabularum tituli docent, velut *Σκυτεύς*, *Στεφανοπώλιδες* Eubuli, *Τοκιστής* Nicostrati, *Κονιατής* Amphidis, *Λυροποιός* Anaxilae, al. Notissimum autem est de piscariorum arrogantia qui lamententur, saepe a comicis induci. Memorabiles sunt hi Antiphanis versus (fr. 218, II p. 107 K):

οὐ δεινόν ἐστι προσφάτους μὲν ἂν τύχῃ
πωλῶν τις ἰχθῦς, συναγαγόντα τὰς ὀφρῦς
τοῦτον σκυθρωπάζοντά θ' ἡμῖν προσλαλεῖν,
ἐὰν σαπροὺς κομιδῇ δέ, παίζειν καὶ γελᾶν;

Bis autem horum propolarum exempla expressisse videtur mimiamborum scriptor, sutorem et ficorum propolam, si quid concludere licet e Cn. Matti fragmentis his (Macrob. sat. III, 19, 5; Buech. p. 69, Crus. 89/90):

In milibus tot non videbitis grossum.
Sumas ab alio lacte diffluos grossos.

Verbis non minus atrocibus ille apud Alexidem emptorem pellit (fr. 16, II p. 303 K.): '*ὦ 'τάν, λαβὲ καὶ μὴ παῖζε*'. '*τοσουδί; παράτρεχε*'. Et haec quidem verba sunt cetarii alicuius; at idem Alexis de ficorum propolis memorat fr. 128, II p. 343 K.

οἳ κάτωθε μὲν
τὰ σκληρὰ καὶ μοχθηρὰ τῶν σύκων ἀεὶ
τιθέασιν, ἐπιπολῆς δὲ πέπονα καὶ καλά.
εἶθ' ὁ μὲν ἔδωκεν ὡς τοιαῦτ' ὠνούμενος
τιμήν, ὁ δ' ἐγκάψας τὸ κέρμ' εἰς τὴν γνάθον
ἐρίν' ἀπέδοτο σῦκα πωλεῖν ὀμνύων.

In illo igitur mimiambo, quem Mattius imitatus est, personam Herodas tractaverat e comoedia notissimam. Addas etiam illud, quod ut propola Alexidis sic Cerdo quoque omnia, quae dicit, iure iurando confirmat. (cf. v. 30 sq.).

Venio ad ea, quae ad singulos versus mihi observanda esse videntur.

v. 6: . . . *Πίστε* . . .

Πίστος servi nomen apud Antiphanem (fr. 68, 3, II p. 38 K.).

v. 36: οὐ γὰρ ἀλλὰ μεζόνων ἤδη
... κερδέων ὀριγνῶνται
... τὰ ἔργα τῆς τέχνης ἡμῶν,

haec fere verba integra exstant. Cum his conferas, quae coquus gloriosus apud Sosipatrum loquitur (fr. 1, III p. 314 K):

οὐ παντελῶς εὐκαταφρόνητος ἡ τέχνη,
ἂν κατανοήσῃς, ἐστὶν ἡμῶν, Δημύλε·
... καὶ πάντες σχεδὸν
εἶναι μάγειροί φασιν, οὐδὲν εἰδότες.
ὑπὸ τῶν τοιούτων δ' ἡ τέχνη λυμαίνεται.
ἐπεὶ μάγειρον ἂν λάβῃς ἀληθινόν,
... ἕτερόν σοι τυχὸν
φανήσεται τὸ πρᾶγμα.

Ut iste coquus in eos invehitur, qui artem suam simulando (φασὶν οὐδὲν εἰδότες) depravent atque detorqueant, sic etiam Cerdonem fecisse loco corrupto veri simile est. Quod si deesset, desiderares nescio quid in sutoris descriptione; quamobrem versus corruptos iam Buecheler sic est interpretatus: 'maiorem iam [plerique] quaestum adpetunt [cum non adaequent] artificia nostra'.[1]) cf. Sosip.: ἡ τέχνη ἡμῶν et Her. 38: τῆς τέχνης ἡμῶν. Sosip.: μάγειρον ἂν λάβῃς ἀληθινόν et Her. 70: σκυτέων, γύναι, τὠληθὲς ἢν θέλῃς ἔργον.

v. 44 sq. De vera huius loci lectione non constat; in altera sententiae parte de pueris agi ego malim putare quam de servis; nam et verba φέρ' εἰ φέρεις τι et illa quae sequitur cum pullis comparatio melius ad illos quadrat.[2]) cf. Aristoph. Lys. 1203:

εἰ δέ τῳ μὴ σῖτος ὑμῶν
ἔστι, βόσκει δ' οἰκέτας καὶ
σμικρὰ πολλὰ παιδία,

cf. Thesm. 447.

---

1) Nisi primam versus literam *M* et Buecheler et Crusius exhiberent, equidem proponerem λωβεύμενοί τι τὰ ἔργα τῆς τέχνης ἡμῶν coll. Sosip. verbis ἡ τέχνη λυμαίνεται (cf. Aristoph. ran. 93 λωβηταὶ τέχνης et Herod. fr. 14.).

2) cf. Aeschyl. Choeph. 254, 494 Eur. Alc. 414 et saepius; Epicrat. fr. 3, 15, II p. 283 K.: ὁπότ' ἦν νεοττὸς καὶ νέα; Herodianus Boisson. Anecd. III, 267: νοσσιὰν τέκνων, quae comico Kockius, Nauckius tragico tribuit. cf. Iuvenal. 5, 142.

v. 46: οὓ κῆν ὕῃ Ζεὺς τοῦτο μοῦ ...
'φέρ', εἰ φέρεις τι· 'τἄλλα δαψ(ιλῶς ἕ)αται(?)

cf. fr. adesp. 118, III p. 430 K.:

A. τὸν Δία δὲ πῶς ὕοντα (scil. ἀμύνεσθαι); τὸν βορέαν δὲ πῶς;

B. ζητοῦμεν ἱμάτιον, βαλανεῖον ...
οὐχ ὑόμενοι καθήμεθ' οὐδὲ κλάομεν.

v. 64: κόσον χρεΐζεις κεῖν' ὃ πρόσθεν ἤειρας
ἀπεμπολῆν τὸ ζεῦγος; ἀλλὰ μὴ βροντέων
αὐτὸς σὺ τρέψῃς μέζον εἰς φυγὴν ἡμέας

Iam supra breviter monuimus in comoedia eos obviam fieri, qui quantam sibi afferat molestiam cetariorum arrogantia, indignantur; non ad praetores tam difficiles esse aditus (Amphid. fr. 30, II p. 244 K.), intolerabilem vero consuetudinem esse eorum pretii pronuntiandi (cf. Alex. fr. 16, II p. 303 K.); apud Antiphanem (fr. 166, II p. 79 K.) lapidem sese fieri nescio quis dicit tanquam si Gorgonem adspexerit:

ἢν ἴδω γὰρ ἡλίκον
ἰχθὺν ὅσου τιμῶσι, πήγνυμαι σαφῶς.

Hinc fortasse explicatur, cur tam gravibus verbis Herodas usus sit: βροντέων ... τρέψῃς εἰς φυγήν, quibus verbis similis subiecta est sententia atque illi praetorum comparationi.

Adiungo Herodae

v. 77: τί τονθορύζεις κοὐκ ἐλευθέρῃ γλάσσῃ
τὸν τῖμον ὅστις ἐστὶν ἐξεδίφησας.

Quo cum loco comparari potest fr. adesp. 365, III p. 477 K.:

ἐς τὸ φανερὸν μὲν οὐχὶ τολμῶσιν λέγειν,
ὑποτονθορύζουσιν δὲ συγκεκυφότες.

Ut Cerdo, sic piscarius quoque ille, qui est apud Amphidem, emptori haesitans respondet, idque huius bilem magnopere movet (cf. fr. 30, 5):

οὓς ἂν ἐρωτήσῃ τις ἀναλαβών τι τῶν
παρακειμένων ἔκυψεν ὥσπερ Τήλεφος
πρῶτον σιωπῇ ...
ὡσεί τε προσέχων οὐδὲν οὐδ' ἀκηκοώς.

v. 69: . . . ῥινᾷ (coni. Bl.)
quae Blassii coniectura, quamvis apta sit, tamen non plane certa. Utique ῥινᾶν falso derivatur a ῥίς, ῥινός; neque enim idem est ac τῆς ῥινὸς ἕλκειν, pro quo ῥινᾶν plane singulari brevitate diceretur; immo tractum est a ῥίνη (ἐργαλεῖον τεκτονικόν, ᾧ ῥινοῦσιν schol. Aristoph. ran. 931), unde et ῥινᾶν derivatur et ῥινεῖν. ex eodem igitur campo petitum est ac Plautina illa: deasciare (ascia), deruncinare (runcina) i. e. decipere. Verbum ῥινᾶν Menandro quoque usitatum fuisse apparet ex reliquiis (inc. fab. 895, III p. 235 K.): ἔγωγ' ἐπίσταμαι ῥινᾶν (cf. fr. 937).

v. 78: τὸν τῖμον
cf. Eustath. 563, 24 et Philem. Lex. 105: τιμὴ τῖμος, ὡς παρὰ τῇ κωμῳδίᾳ τὸ τίμημα (fr. adesp. 1164, III p. 599 K.): memorabile est paulo supra v. 68 altera forma Herodam uti.

v. 80 sq.: χαλκοῦ
ῥίνημ' ὃ δή κοτ' ἐστὶ τῆς Ἀθηναίης
ὠνευμένης αὐτῆς ἂν οὐκ ἀποστάξαι

'aeris ramentum (cf. Plaut. Bacch. 680: patri omne [scil. argentum] cum ramento reddidi) quantumcunque erit, Minerva si emat ipsa, non delicuerit.' Sic Buecheler.

Talia a propolis iactata esse videntur. Optime comparari possunt lenonis verba Plaut. Rud. 727, quippe qui de puellis suis tanquam de mercibus dicat:


Si autem Veneri conplacuerunt, habeat si argentum dabit.

cf. etiam Her. v. 91.

v. 101: λαβεῖν.
quod verbum apud Alexidem loco supra laudato (fr. 16) eodem usurpatur sensu: ὀκτὼ λάβοις ἄν; (v. 10) et ὦ 'τάν, λαβέ; qui usus latius pertinere videtur.

v. 108 sqq. γύναι τό μ' ἐλάσαι σαν . . .
ἐόντα λίθινον ἐς θεοὺς ἀναπτῆναι.
ἔχεις γὰρ οὐχὶ γλάσσαν, ἡδονῆς δ' ἠθμόν.
ἆ θεῶν ἐκεῖνος οὐ μακρὴν ἀπῴκισται,
ὁτέῳ σὺ χείλεα νύκτα κἠμέρην οἴγεις.

Quanta est festivitas quantaque hilaritas in sermone sutoris qui iam decrepitus cum mulieribus amatorie loquitur. Quod argumentum comicis poetis quam fuerit gratum atque acceptum,



quis est qui nesciat? Hi omnino ridiculum amatorum genus gaudebant describere, ut similibus coloribus ac senum amores servulorum explicabant: Pseudoli memineris dona Bacchi et Veneris ita laudantis Plaut. (Menand.) Pseud. 1257:

Hic omnes voluptates, in hoc omnes venustates sunt.
Deis proxumum esse arbitror.
Nam ubi amans complexust amantem, ubi labra ad labella adiungit,
Ubi alter alterum bilingui manifesto inter se prehendunt e. q. s.

Imaginem ab Heroda v. 109 in ridiculum detortam Anacreon invenit (*ἀναπέτομαι δὴ πρὸς Ὄλυμπον πτερύγεσσι κούφαις διὰ τὸν Ἔρωτα*); quam non modo tragici (cf. Soph. Ai. 693. Crusius *Unters.* p. 145), sed etiam comici excipiebant atque multis modis variabant. cf. Anaxil. fr. 22, 29, II p. 270 K.:

οἱ δ' ἐρᾶσθαι προσδοκῶντες εὐθύς εἰσιν ἠρμένοι,
καὶ φέρονθ' ὑψοῦ πρὸς αἴθραν.

Alexid. fr. 20, II p. 305 K.:

μὴ πέτεσθαι τὸν θεὸν
τὸν Ἔρωτα, τοὺς δ' ἐρῶντας.

Dei esse sibi videntur ii, qui puellam amant; cf. supra Plaut. Pseud. 1258. Curcul. 167.[1]) In blanditiis sutoris haec quoque est:

v. 115: *τὰ καλὰ πάντα τῆς καλῆσιν ἁρμόζει.*

cf. Plaut. Most. 172:

Phil.: Quin me aspice et contempla, ut haec me deceant.
Scapha: Virtute formae id evenit, te ut deceat quicquid habeas.

Denique de v. 123 videatur adn.[2])

---

1) cf. exemplar Sapphus: *φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θέοισιν κ. τ. λ.*

2) v. 123: *ἡ μέζον ἵππου πρὸς θύρην κιχλίζουσα.* cf. Eustathii explicationem ad Odyss. Υ 8 (1880, 60): *Ἔτι ἰστέον καὶ ὅτι τὸν γυναικεῖον γέλων κιχλισμὸν ἐκάλουν οἱ παλαιοί, ὁποῖός τις καὶ ἄρτι ὁ δουλικός.* Sunt qui *κιχλισμῶν* (Aristoph. nub. 1073) de risu intellegi velint, cf. schol.